

05

A

2207





D. T. O. M. A.
DISPUTATIO THEOLOGICA
De
PERSONA
CHRISTI,
Quam

In illustri Academia VVittebergenſi

PRÆSIDE

Viro admodum Reverendo, Clarissimo & Excellentissimo

DN. PAULO RÖBERO, SS. Th.
Doct. & Prof. Publ. celeberrimo, Pastori & Super-
attendente in Circulo Electorali Generali vigilantissimo, Synedrii
Ecclesiastici Assessore gravissimo, Facultatis Theol. Decano
spectatissimo, Dn. Præceptore, Fautore & Pro-
motore suo singulariter observan-
do & colendo.

Publicè proponit

JOHANNES Fürſen Hamburg.

In Auditorio majori

Ad diem 14. Aprilis horis à 7. matutinis.



WITTEBERGÆ,

Ex Officinà Typogr. AMBROSII ROTH, Acad. Typogr.

ANNO MDCXXXI.



05 A 2207



Περί μισίου.



Nervosè admodum Divus Apo-
stolus Paulus Dominum & salvatorem
nostrum Jesum Christum unicum fidei funda-
mentum vocat, præter quod aliud poni non possit
1. Cor. 3. 11. ipse enim est fundamentum propheta-
rum & Apostolorum summus angularis lapis, in quo
omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in
quo & nos ædificamur in tabernaculum Dei in spiritu S. Eph. 2. 20.
Huic fundamento innixi sunt patres nostri & per ejus gratiam
salvati. Act. 15. 11. nec est in alio aliquo salus, nec est aliud nomen sub
celo datum hominibus in quo oporteat, nos salvos fieri. c. 4. 12. Hoc
vero fundamentum ut unicè necessarium, ita ejus quoq; co-
gnitio summè necessaria est, in eo namq; consistit vita eterna ut
cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.
Joh. 17. 3. læsâ enim verâ Christi cognitione non potest non fi-
des, quæ est Calcis & coaguli instar, quo colligantur & copu-
lantur lapides in spirituali hoc ædificio, lædi & universæ stru-
cturæ ruina inferri. perpendamus saltem personam ejus, de of-
ficio, nihil dicentes, & videbimus quantû ex cognitionis ejus vio-
latione, vera fides detrimentum capiat. Non sufficit nobis
scire cum judæis promissum semen mulieris sed requiritur in-
super novisse, quod semen hoc natum sit & Jesum illud esse,
propterea enim scriptura N. T. nobis tradita est ut credamus
quia Jesus est Christus filius Dei & credentes vitâ habeamus in nomi-
ne ejus, Joh. 20. 21. Duas in Christo esse naturas ex scriptura didi-
cimus,

Cognitio
Babri.

cimus, harum aliquam si negaveris, quomodo fidei fundamen-
 tum salvū retinebis? Tolle naturā divinā & notā antichristi nō
 effugies. *Nam hic est antichristus, qui negat patrem & filium, omnis
 qui negat filium nec patrem habet,* 1. Joh. 2. 22. si ergo negando fi-
 lium, hoc est divinam Christi naturam, nec patrem habebis,
 quodnam objectum fidei tuæ erit? Tolle humanam naturam
 & redemptionem tuam sustulisti, quicquid enim filius Dei non
 assumfit, illud non redemit, τὸ ἀπερόσληπτον ἀθεράπευτον pul-
 cherrimè à Nazianzeno dictum. Ex unione personali quan-
 ta fidei firmitas elucescit? Cum enim Christus sit *caput Eccle-
 sie,* Eph: 1. 22. & nos *membra ipsius,* 1. Cor: 6. 15. & *unum cum ipsa
 corpus,* 1. Cor: 12. 12. *unus spiritus,* 1. Cor: 6. 17. hinc consequenter
per fidem Deus in nobis & nos in Deo sumus & palmites in verâ vite,
 Joh. 15. 1. ut firmâ fide credamus, Christum membra sua in se-
 pulchris non relicturum sed *ut ipse vivit ita & nos vivemus,* &
*resuscitabit corpora nostra, & transfigurabit illa configurata corpo-
 ri claritatis suæ,* Phil: 3. 21. Quid de idiomatum communicatio-
 ne dicendum, an ex illâ quoq; fides quandam habet certitudi-
 nem? puto omnino: si enim Deus infirmitatum nostrarum par-
 ticeps factus non fuerit, sed passio Christi solius humanæ natu-
 ræ passio, quomodo fiduciam in eâ collocare possumus? & ira-
 tum Deum per eam placatum credere? si caro nostra infinita
 dona non accepit, quam dubia erit fides in calamitatibus & af-
 flictionibus, an sc. is quem invocamus qui tentatus est & pas-
 sus, etiam nos qui tentamur auxiliari possit. Quarū similium fi-
 dei impugnationum arietes ex personæ Christi ignorance,
 plures erui possent, si omnia minata excutere vellemus. Quâ
 de causâ constituimus in fundamentum hoc aliquo modo in-
 quirere, & personæ ejus considerationem certis quibusdam
 thesibus includere, agentes præmissâ ὀνομαστικῶν λογίων, I. de ejus
existentia, an & quisnam sit Christus. th. 1. II. de ejus *essentia,* cu-
 jus consideratio consistit in cognitione 1. *Naturarum* quarum
prima divina th. 2. *altera humana* th. 3. 2. *Naturarū unionis:* cujus
 propo-

proponendæ. I. *causæ* ut sunt, 1. Efficiens. th. 4. 2. Materialis th 5. 3. Formalis. th. 6. 4. Finalis th. 7. 2. *Effecta* quæ sunt tria
 1. Diversi naturarum actus. th. 8. 2. propositiones personales th. 9. 3. communicatio idiomatum de qua agitur (1.) in gene-
 re th. 10. (2.) in specie, de tribus generibus quorum 1. est *ιδιομά-
 των* th. 11. 2. *ενεργειῶν* th. 12. 3. *χαρισμάτων* th. 13. Præcamur au-
 tem summum & clementissimum patrem, mittat de super spi-
 ritum suum, qui mentem, calamus & linguam dirigat, quo ea
 de filio suo sentiamur proponamus & loquamur quæ ve-
 ritati consona ipsiq; grata sunt, propter nominis sui gloriam,
 Amen.

Ὀνόματολογία.

In explicatione nominali consideranda sunt hæc
 duo nomina, *Jesus & Christus*; quorum inve-
 stigabimus *Etymologiam, homonymiam & syno-
 nymiam.*

1. *Etymologia.*

Jesus est nomen ad officium sacerdotale ut plurimum spe-
 ctans, & deducitur ab inusitatâ radice *ישׁוּ*, quæ in hiph:
ישׁוּהוּ *salvavit salvum fecit* significat, unde nomen *ישׁוּעַ* (aliud
 est nomen *הישׁועַ* fæm: appellativum, quod *salutem* significat
 & de Messio dicitur Gen: 49. 18.) *salvator*, ipse enim *salvum fe-
 cit populum suum*, dictante angelo Matt. 1. 21. *nec est in alio salus,
 nec aliud nomen sub cælo datum in quo oporteat nos salvos fieri, nisi
 in hoc nomine Jesu.* Act. 4. 12. *Christus* nomen græcum est, quod
 itidem ad officium pertinet, nec non ad exaltationē humanæ
 naturæ ex unione personali resultantem, & dicitur à verbo
χρισ̄ω ungo, hinc nomen verbale *χρισ̄τός unctus*, cui responder
 Hebræorum *משׁח* à radice *משׁח* interprete scripturâ Joh: 1.
 42. sicut enim in V. T. ungebantur *Propheta* 1. Reg: 19. 16. *sacer-
 dotes & pontifices* Exod. 28. 41. & *Reges* 1. Sam. 10. 1. cep. 16. 12. 13. ita
Christus unctus est in Prophetam, est enim *Propheta magnus*

Jesús

Christus.



Luc: 3. 16. quem suscitavit Deus de fratribus judaeorum Deut: 18. 15. 18. unctus est in sacerdotem & pontificem, est enim sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Psal. 110. 4. Heb. 5. 6. & pontifex fidelis ad propitianda peccata. Heb. 2. 17. c. 3. 1. c. 9. 11. Unctus est in Regem, est enim Rex constitutus super Sion. Psal. 2. 6. Ezech. 33. 22. Zach. 9. 9. &c.

vis unctio.
 In unctioe autem Christi notanda sunt. 1. unctioe sub-
 jectum. 2. Modus. subjectum unctioe quod ungitur est natura
 humana non vero divina, nam divina natura est ungens, quæ
 humanam naturam ungit, sicut etiam Damascenus l. 3. de fid:
 orb: c. 3. inquit, ipsa Deus unctio humanitatis est, cum itaq; na-
 tura uncta & ungens non eadem dicenda sit, sed alia ungens a-
 lia quæ ungitur, divina vero humanam ungat, non divina sed
 humana natura subjectum unctioe quod ungitur statuendū
 est: Addimus etiam finem unctioe propter quem facta est, un-
 ctio enim uti etiam incarnatio facta est, ob officii Christi Pro-
 phetici sacerdotalis & regii administrationem, quæ utriq; na-
 turæ competit: quemadmodum ergo facta est incarnatio, ut
 Deus, qui in sua natura & essentia pati non poterat, in carne pas-
 siones sustineret, ita vicissim carnis facta est unctio, ut caro,
 quæ redimendi generis humani & ecclesiæ administrandæ vim
 & efficaciam in se non haberet, dona acciperet qualia ad
 efficacem officii administrationem requirebantur. Uncta
 ergo est natura ea, quæ in se infinitam vim & potentiam, qua-
 lem officia salvatoris requirunt, non habuit; quæ humana non
 vero divina est natura.

unio.
 Modus seu ratio unctioe duplex à quibusdam duce scri-
 pturâ traditur, 1. quæ facta est in ipsa unione hypostaticâ, quâ λό-
 γος carnem suam unxit totâ plenitudine deitatis, quæ in ipso habi-
 rat corporaliter, Col: 2. 9. eamq; in propriam hypostasim assum-
 sit, & de hac unctioe loqui videtur Dan: cap. 9. 24. septuaginta
 hebdomades determinate sunt super populum tuum, & super urbem
 sanctam tuam, & consummetur pravaricatio & obsignetur peccatum,
 & expietur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & obsignetur
 visio

visio & Prophetia, & ungetur sanctus sanctorum: quæ Prophetia tempus incarnationis definit, dicitur autem tunc temporis sanctum sanctorum ungi debere, hinc illam unctionis rationem tradunt, quâ in ipsa incarnatione λόγος carnem sui spiritus plenitudine unxit.

Alter modus est qui factus est, per unctionem spiritus S. quâ unctione unctus est Christus oleo Ps. 45. 8. non terreno & externo sed spiritu sancto. Act: 10. 38. qui propter ομοιοσίαν cum λόγῳ datus est Christo non ad mensuram, non quod spiritus S. personaliter carnem assumeret sed propter individua Trinitatis essentiã, ut loquitur chemnit: l. de duabus naturis c. 24. p. mihi. 139. Et de hoc unctionis modo agunt scripturæ dicta. Psal. 45. 8. Diligis justitiam & odio habes iniquitatem, propterea unxit de Deus, Deus tuus oleo præ participibus tuis. Es: 61. 1. spiritus Jehovæ super me, eo quod unxerit Jehovæ me, it: Act: 10. 38. Heb: 1. 9.

Verum non putandam quasi duplex hæc sit unctio, sed modus potius diversus unius ejusdemque unctionis, quâ natura humana ungitur spiritu S. & deitate λόγῳ sicut una est communicatione qua pater filium ad dextram suam collocat secundum humanam naturam & qua filius eandem ad dextram Dei evexit, licet ratione termini, qui non est persona patris vel spiritus S. sed filii aliquod discrimen concedatur.

Elucescit ex dictis, Nomen Christi esse nomen totius personæ, & naturam utramq; simul denotare, ita ut Christus sit idem quod divina & humana naturæ in una persona unitæ & contra duæ illæ naturæ unitæ idem quod Christus. Nec enim divina tantum natura est Christus. Illa enim uncta non est, nec humana tantum Christus est, illa enim ungens non est, nec uncta absq; divina natura. Talis igitur fit demonstratio Christus seu unctus & unctum & ungens simul significat. Atqui nec sola divina nec sola humana natura est ungens & unctum E. nec sola divina nec sola humana natura est Christus. Hinc Damasc: l. 4. c; 6. dicit; *Filius Dei Christus dictus ex quo in sanctæ semper*

Nomen Totig
na.



semper virginis utero conceptus & caro immutabiliter factus. Et
 Beza part: 2. Resp: ad colloq: Mompelg: p: 107. confitetur
 Christi nomine & ungens divinitas & uncta humanitas intel-
 ligitur. Et hinc lucem postea accipient, quæ de communica-
 tione idiomatum propter executionem officii Christi facta, di-
 cenda fuerint.

Opponunt se hic nobis quidam ex Calvinianis, qui no-
 men Christi non semper totam personam utrâq; natura con-
 stantem denotare contendunt, sed interdum λόγος nondum
 incarnatum ut 1. Cor: 10. 9. *Neg, tentemus Christum, sicut quidam*
eorum tentaverunt, super quem locum scribit Piscator; Quam
Paulus dicat, patres tentasse Christum, & tamen illo tempore filius
Dei nondum assumerit naturam humanam, sequitur vocabulo Chri-
sti non semper significari utramq; naturam, sed interdum alterutram,
tantum per synechdochen videlicet integri. Hæc ille, sic Heb. 13. 8.
Jesus Christus heri & hodie ipse & in secula, Et in V. T. filius Dei
dicitur משיח quod idem notat ac Christus. Verum facilis est
responsio, attribuitur enim nomen hoc filio Dei nondum in-
carnato, non quasi tunc temporis actu Christus exstiterit, sic e-
nim requirebatur etiam uncta humanitas, sed propter identi-
tatem personæ, quod scilicet ea ipsa persona in plenitudine
temporis in carnem mittenda & homo nascitura esset, & sic
Messias seu Christus futura.

Præteritis jam his nominibus (Jesu & Christi) quatenus
 aliis imponuntur hominibus, homonymiam observamus istã,
 quod nomen Christi salvatori nostro attribuat vel absolutè,
 prout est θεαύθρωπος seu λόγος incarnatus, vel Relatè, prout
 est caput ecclesiæ, cui membra veræ ecclesiæ per fidem spiri-
 tualiter unita & juncta sunt ut 1. Cor: 12. 12. *sicut enim corpus u-*
num est & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum
sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus.

Synonymia considerat nomina æquipollentia, quæ huic
 personæ attribuuntur, & sunt vel *persona vel officii*; Personæ
 sunt

obj.

A.

synonymia

synonymia

synonymia

vel *natura divina*, vel *humana* vel *utriusq; simul*. *Divinae naturae* sunt nomen *Jehova* Es. 9. 6. *Deus* Rom. 9. 5. *filius Dei* uni *genitus* Joh. 1. 18. *proprius* Rom. 3. 32. λόγος Joh. 1. 1. *Humanae naturae* sunt, *homo* Luc. 23. 47. *caro*. Joh. 1. 14. *semen mulieris* Gen. 7. 15 & c. *Utriusq; natura* est nomen *Immanuel* Es. 7. 14. Nomina officii vel sigillatim sunt propria unius officii, vel communia triplici officio: sigillatim nomina sunt vel officij *Prophetici*, & dicitur *Propheta* Deut. 18. 18. Act. 3. 22. *Magister* Matt. 23. 10. *Episcopus animarum*, 1. Pet. 2. 25. *Præceptor gentium* Es. 55. 4. *legifer noster*, Es. 33. 22. vel officij *sacerdotalis* & dicitur *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*. Psal. 110. 4. *pretium redemptionis pro omnibus* 1. Tim. 2. 6. *mediator N. T.* Heb. 9. 15. *pontifex magnus* Heb. 5. 10. *Advocatus apud patrem* & *propitiatio nostra* Rom. 8. 34. *Salvator* Luc. 2. 11. *Reconciliator* Rom. 3. 25. vel officij *regii* & dicitur *Rex* Es. 33. 22. *princeps* Ez. 37. 25. *Dux* Dan. 9. 25. *Dominator* Mal. 3. 1.

Commune triplici Christi officio est nomen *Pastor*; est enim *Pastor*, quatenus *Rex* est, defendit enim oves suas ab injuria hostium sicut rex suos subditos; Est pastor quatenus *sacerdos*; redimit enim oves suas sanguinem effundendo, sicut *bonus Pastor animam suam dat pro ovibus*. Joh. 10. 11. Est pastor quatenus *Propheta*, ducit enim oves suas in via veritatis & justitiæ, sicut pastor suas oves ducit ad pascua. Pari ratione dicitur *Messias* Joh. 1. 42. *Lapis angularis* Psal. 118. 22. *fundamentum* Eph. 2. 20. plura legi possunt apud Gerhard. Exeg. LL. CC. p. 1136. Hæc de ὀνοματολογία, cui πραγματολογία tractationem subjuncturi, eâ utemur methodo, ut primò thesis brevibus verbis proponatur, postea ἐξήγησις & argumenta subjiciantur, cui antithesis cū brevi ejus argumentorum indicatione & refutatione addatur. Sit ergo orthodoxa.

B

Thesis

THESIS PRIMA.

Messias seu Christus patribus in V. T. promissus & jam in N. T. exhibitus est Jesus ille Nazarenus sub Pontio Pilato crucifixus.

Εξήγησις.

DE promissione exhibendi Messiae nulla est controversia inter nos & Judaeos, verum de tempore exhibitionis Messiae ejusque personam, utrum videlicet facta sit exhibitio & Messias venerit, & quisnam sit ille verus Messias acerrima lis est; *Utrumque* thesis contra fluctuantes & dubios Judaeos determinat; & tempus, quod Messias venerit, & personam, quod Jesus Nazarenus sit ille Messias. Probamus itaque prius, ex signis adventum Messiae notificantibus, qualia ex scriptura urgemus sequentia:

1. *Politiae & regni Judaici everisionem*, datum fuit hoc signum a Patriarcha Jacobo morti jam vicino, Gen: 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, nec legislator de pedibus ejus, donec veniat qui mittendus est Siloh, & ipsi erit aggregatio populorum.* In hoc vaticinio i. notamus vocabulum מַשְׁכָּוֶה per quod intelligitur *sceptrum* (quod phrasi scripturae imperium & regimen denotat) *non vero virga* (qua castigatio & afflictio describitur). Nam scopus Jacobi non obscure repugnat, cum enim patriarcha lecto detentus & mundo valedicturus, ante obitum filiis suis more paterno benedicere vellet, initium a Ruben faciens, ipsius tanquam primogeniti praerogativas in mentem revocat vers. 3. *Ruben primogenitus meus tu fortitudo mea & principium roboris mei, prior in donis major in imperio*: quae verba Hieronymus in traditionibus Hebraicis & Paraphrastes Chaldaeus explicant de primogenitura, sacerdotio, & regno; verum propter flagitium, quod Ruben in concubitu cum Balâ concubinâ Jacobi pa-

De Tempore.

Gen. 49. 11

bi patris sui Gen: 35. 22. admiserat, ipsi pater has prærogativas
 denegat vers. 3. 4. Jam succedebant *Simeon & Levi*, sed nec illis
ob eadem Sichimitarum Gen: 34. 25. easdem attribuit dignitates,
 sed divulsæ sunt hæ dignitates, & regimē pater hic Juda sequē-
 ti filio tradit, sicut etiam *Judam principatum, & Josephum primo-*
genituram, (quod utrumq; Ruben denegatum) accepisse i. pa-
 ral. 5. 1. seq; expressè docetur, *sacerdotium vero Levite* consecuti
 sunt Num. 3. 40. Et ita patet quod Jacobus, non de calamitate,
 quam non negat sed potius prædicat prioribus filiis sed de do-
 minio sermonem faciat. Quin & contentus aliud demonstrat,
 describitur enim sceptri hujus excellentia, ab hostium debel-
 latione, manus ipsius erunt in cervicibus inimicorum à subdi-
 torum subjectione, adorabunt te filii patris tui, à potentiâ &
 robore, catulus leonis Juda, quibus adjungitur *legislatoria po-*
testas, non auferetur legislator de pedibus ejus, quæ omnia non af-
 flictionem & humilem abjectionem, sed excellens & summū
 dominium demonstrant: sic Tharga Judæis authentica huic
 interpretationi favent, Onkelos per *עביר שולטן* *factorem*
dominij, Jonathæ & Hierosolymitanum per *שליטין & מלכין*
Reges & Dominatores exponunt, cui adjungenda est versio 70.
 interpretum, *quod sceptrum* per *ἀρχον* vertit. 2. distinctionem
 merentur particulæ *עַד כִּי* usq; dum, quæ non separandæ sed
 conjungendæ sunt, & per *donec* rectè explicantur. Ita enim
 exponunt Tharga, Onkelos, *עַד דִּוְרֵי* usq; dum venerit, Jo-
 nathæ & Hieros: *עַד זְמַן דִּוְרֵי* *ad tempus quo venerit* ut &
 versio 70. reddidit *εως αν ελθη usq; dum venerit*: Accentus
 quoq; *Athnach* sub voce præcedente *עַד* distinctivus pau-
 sans est, qui sententiam absolutam indicat. Non ergo rectè
 faciunt qui particulas has divellunt, & voculæ *עַד* significa-
 tionem pervertunt, quasi hoc loco æternitatem denotaret, ut
 sensus sit iste; *Non auferetur sceptrum de Juda עַד in æternum, כִּי*
quoniam veniet &c. Nam illam significationem hæc particula
 non admittit, quando cum aliis particulis conjungitur, extra

vero conjunctionem cum aliis particulis, & absolute posita, eam significationem non negamus, 3. Deniq; voci *משיח* sua vera vindicanda significatio, intelligitur autem per *משיח* non David, non Jeroboã, nō urbs silob. non Nabucodonosor aut alius quispiã sed Messias, sicut superius dicta Thargamim per *משיח* exponunt, nec de ullo alio dici potest, quod sit *expectatio gentium*, quod Messia attributum est, Hagg. 2. 7. &c. Unde genuin9 prophetiæ sensus elicitur talis, sceptrum apud tribum Judæ duraturum usq; dum Messias venerit, & illo ablato Messia adventum propinquum esse.

Jam autem constat regnum & Dominium Judæis esse totaliter subtractum, ut nec sceptrum amplius gerant, nec legislator ad eorum pedes inveniatur. Nam tempore natiuitatis Christi Augustus Cæsar Judæis censum imposuit, Luc. 2. 2. ipsis gubernatores, & tetrarchas præfecit, qui ipsis pro lubitu imperarunt. Et Herodes Magnus à Romanis sua impetravit *ἀξιώματα*, atq; ita exspirare cepit politia Judaica omnisq; potestas ad Romanos translata, qui postea templum & urbem Hierosolymam devastarunt, ut & scepro & legislatore judæi nunc per tot secula caruerint. Hinc argumentum: Regno & Imperio Judaico everso & sublato, certum signum adventum Messia determinans interiit. Atqui Regnum & imperium Judaicum ante tot secula eversum & sublato est, E. ante tot secula certum quoddam signum adventum Messia determinans interiit. Quomodo autem sceptrum apud tribum judam usq; ad exhibitum Christum & Herodem Magnum conservatum fuerit in ipsa collatione occasione datâ explicari poterit.

2. *Templi Hierosolymitani devastationem*: Hagg: 2. 7. *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo calum & terram & mare & aridum & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum, Mecum est argentum, mecum est aurum, dicit Dominus exercituum, Magna erit gloria domus istius novissima plusquam prima, dicit Dominus exerci-*

exercituum. Malach. 3. 1. *Ecce ego mitto angelum meum & preparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum, quem vos queritis; & angelus testamenti quem vos desideratis.* Prædicunt hi Prophetæ Messiam suo adventu domum istam (הַבַּיִת הַזֶּה) secundū à Zorobabele re parandam & extruendam ornaturum, & ita templi hujus gloriam præ primi gloriâ fore majorem; nam præsupposito hos prophetas de eodem loqui templo, cujus gloria major sit quam gloria primi templi, eam gloriam non nisi in præsentia & ingressu Messie in templum hoc suam posse statui, facile probatu est. Quæ enim fuerit primi templi excellentia & ædificii splendor, colligere est ex 2. paral. 3. 4. 5. seqq. 1. Reg. 6. 22. ubi omnia purissimo auro obducta interius & exterius narrantur, quorum in ædificatione novissimi templi magna fuit penuria: quæ divitiæ fuerunt salomoni primi templi ædificatori? quæ fuit hujus templi præstantia in sanctitate, in quo habebantur Urim & Thumim, in quo gloria Dei inter Cherubim apparebat! quæ secundo templo denegant ipsi Rabbinii; quam præclari in eo docuerunt Prophetæ & doctores præ doctoribus secundi templi! ita ut nihil gloriosum excogitari queat; in quo non primum templum posteriori præferendam sit, nisi illud unicum, quod Messias sua præsentia templum hoc ornaturus & gloriâ suâ repleturus sit. Remotis ergo reliquis gloriæ partibus, quibus templum posterius priori præcellere possit, rectè illam intelligimus, quæ ex præsentia Messie oritur, & templum hoc posterius priori splendidius efficit. Omnes quoq; Prophetæ à Samuele & deinceps quotquot locuti sunt annunciarunt dies Messie; ut noruat Christiani ex Act. 3. 24. c. 10. 43. Judæi vero suo Thalmed in libro sanhedrin idem docendi credere cogantur; Jam verò nulla Prophetia proferri potest à Judæis in Prophetâ hoc Haggæo præter adductam hanc, quare etiam illa necessario de Messia intelligitur. Consensum Thalmudistarum in lib: sanhedrin cap: Helec vide apud Galatinū l. 4. c. 9.

Templum 23



Templum autem illud ante tot secula jam destructum est, unde tempus adventus Messiae jam præteriisse firmissimè colligitur, hoc modo: Quod templum Messias sua gloria & præsentia implere & ornare debuit, illud tempore adventus Messiae adhuc stabit, aut illo destructo certum quoddam signum adventus Messiae perit; Templum secundum à Zorobabele renovatum Messias suam gloriam ornare debuit. E. templum secundum tempore adventus Messiae stabit; aut illo destructo, ut destructum est, (quod ipsi hodierni Judæi non negant) certum quoddam signum perit.

3. *Sacrificiorum Leviticorum cessationem.* Omnes ceremoniae Mosaicae typierant venturi Messiae, quæ sicut umbræ superveniente corpore evanescere debebant; sic etiam sacrificiorum oblatio cessare debebat, quando verum illud sacrificium pro totius mundi peccatis offerendum consummatum foret, Et hoc in V. T. quoque Deus per Prophetas populo suo revelavit, Jer. 3. 15. seq. *Ego dabo vobis pastores juxta cor meum & pascent vos scientia & doctrina, cumque multiplicati fueritis & creveritis in terrâ in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra, Arca Testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabunt, nec fiet ultra. In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini, & congregabuntur ad eam omnes gentes. Dan: 9. 26. Post Hebdomadas vero sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus cum inundatione erit, & usque ad finem belli decreta est desolatio, confirmabit autem pactum multis hebdomadâ una, & in dimidio Hebdomadis cessabit hostia & sacrificium. Mal. 1. 11. Ab ortu solis usque ad occasum magnum erit nomen meum in gentibus, & in omni loco adolebitur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum nomen meum in gentibus.* Ex quibus locis sacrificiorum Leviticorum sublationem, quæ à Daniele expressis verbis proponitur, ita demonstramus: Quando cultus divinus V. T. non amplius ad arcam & tem-

& templum astrictus nec id amplius visitabunt, nec ultra fient (scil: sacrificia & holocausta) sed judæorum & gentiū congregatio facta fuerit, tum utiq; sacrificia Levitica cessabunt, sed temporibus illis, de quibus his Prophetis sermo est, cultus divinus V. T. non erit astrictus amplius arcæ & templo, nec id amplius visitabunt, nec fient ultra (sacrificia) sed judæorum & gentium congregatio facta fuerit. E. temporibus illis sacrificia cessabunt. Major clara est, cultus enim religiosus V. T. ita alligatus erat templo & arcæ, ut nullibi nisi h. l. verus cultus peragi possit, & quisquis se hujus religioni addictum profitebatur h. l. suas oblationes offerre cogebatur, ita ut cessante astrictione ad hunc locum, ipsa quoque sacrificiorum Leviticorum observatio cesset, indissolubili enim nexu & sacrificia & sacrificiorum ceremoniæ conjunctæ erant. Porro, si ubique locorum sine discrimine loci temporis & personarum etiam gentes debent offerre oblationes mundas, utiq; cessabit sacrificiorum Leviticorum oblatio; Hæc enim erat certo populo, certis personis offerentibus, certo loco alligata. At verum prius, ex Malachia. E. etiam posterius. Demonstratâ igitur sacrificiorum abrogatione, tempus dictis locis sat strictè definitur, à Daniele quidem media septimana adventus Christi, reliqui etiam, quum de temporibus Messiaë verba faciunt, manifestè subinferunt, tempus abrogationis sacrificiorum esse illud, quo Messias exhibendus sit. Argumentamur itaq;: Tempus abrogationis sacrificiorum Mosaicorum est tempus quo Messias exhibendus. Atqui tempus ante tot secula præterlapsum fuit tempus abrogationis sacrificiorum Mosaicorum. E. tempus ante tot secula præterlapsum fuit tempus quo Messias exhibendus. Ulterius: præterlapso tempore exhibitionis Messiaë, certum signum adventum Messiaë determinans interiit. Atqui tempus exhibitionis Messiaë præterlapsum est, E. certum signum adventum Messiaë determinans interiit. Minor prioris syllogismi sole lucente clarior est, destructâ enim poli-

pōlitiā judaicā & templo devastato, nec sacrificium, nec arca, nec exercitium legum Mosaicarum reliquum mansit.

4. *Locinatalitij interitum*: Locus nativitati Messiae designatus erat *Bethlehem Ephrata*. sic enim Mich. 5. 1. dicitur *Et tu Bethlehem Ephrata parum est ut sis in millibus juda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & exitus ejus à diebus sculi* quem textum contra quosdam negantes judæos de Messia exponit Thargum jonathæ hic verbis מִנֶּךָ סָרְמִי יִפְיֵק מִשִּׁיחָא *Ex te coram me egredietur Messias, Et descriptio illius qui egressurus est, non permittit illum de alio quopiam exponi, dicitur enim dominator in Israel, qui egredietur futuris temporibus & ante secula egressus est, quod de nudo homine dici non potest, sed de tali, qui Deus & homo simul sit, qualis est solus Messias: Argumentum: sublato & everso loco, ubi Messias nasci debuit, certum adventus Messiae signum iterum tollitur. Atqui locus ubi Messias nasci debuit Bethlehem Ephrata nimirum eversus est, quod nemo sapiens negat. E. iterum certum adventus Messiae signum tollitur.*

5. *Genealogiarum perversionem*: Messias ex lumbis Abrahæ oriundus promittebatur Gen: 22. 18. ex tribu Juda c. 49. 10. ex posteris Davidis 2. Sam. 7. 12. seq. quarum promissionum impletio ut luculenter demonstrari posset, diligens & accurata apud Judæos fuit genealogiarum observatio & commixtionis tribuū prohibitio, Hodierni autem judæi suæ genealogias nec certam stirpem nec veram tribum indicare possunt, ut si nunc demum Messias nasciturus esset, infallibiliter demonstrari non posset, quam ex tribu natus sit, unde iterum colligimus: Quando vera stirps & progenies Messiae non potest demonstrari, certum Messiae requisitum interiit, At hodierno tempore, vera stirps & progenies Messiae (si sc: demum nasciturus esset) non potest demonstrari. E. hodierno tempore certum Messiae requisitum interiit.

Reliqua probationis fundamenta, quæ facili negotio addi pos-

di possent brevitatis studio omittimus, & cum omnia signa ad-
ventum Messiae determinātia, ne uno quidem excepto, in vero
Messia concurrant necesse sit, ea autem quæ superius enume-
ravimus, in Messiam, qui demum venturus fingatur, concurre-
re non possunt, idcirco ita generali collectione concludimus
sublatis signis inseparabilibus, tollitur signatum. Manifestum;
sublato limite agrorum distinctio & terminorum designatio
tollitur. Atqui signa adventus Messiae sublata sunt, quod pro-
batum, Ergo ipse adventus tollitur, aut ergo factus, aut nun-
quam futurus, aut signa fallacia dicenda sunt, duo vero poste-
riora falsa sunt, Ergo prius verum relinquitur.

Posterius thesios membrum quod Jesus Nazarenus sit ille pro-
missus Messias probamus. 1. à defectu alterius, præsupposito jam
ut sufficienter probatum est, Messiam certo venisse, aliquis di-
cendus est qui sit ipse verus Messias, non enim obscurus & ab-
scanditus esse debuit, sed gentibus & judæis notus, ut ad eum
congregarentur. Nemo autem nominari potest, qui se Messiam
profiteri posset, ejusq; personam & officium de se demonstra-
re præter unicum illum Jesum Nazarenū; Alij qui se pro Mes-
sia venditarunt, ut Theudas & Judas, Act. 5. 36. 37. Barchochabus
tempore Adriani (Bencozba) judæorum Messias tempore Ve-
spasiani ab ipsis judæis trucidatus miserè perierunt. Unde ul-
trò sequitur Jesum Nazarenum esse verū Messiam hac sequelā:
si Christus seu Messias venit, & nullus nisi Jesus Nazarenus ve-
rè se Messiam profiteri possit, sequitur Jesum Nazarenum esse
verum Messiam, sed prius est verum. E. etiam posterius.

2. à signis vero Messiae competentibus: Facilis est applica-
tio signorum superius de adventu Messiae explicatorum ad Je-
sum Nazarenum, venit enim ablato sceptro judaico, ante de-
structionem secundi templi Hierosolymitani & sacrificiorum
Leviticorum cessationem, quæ omnia demum post Jesum Na-
zarenum exacto computationis tempore per everisionem tem-
pli finem sortita sunt; Natus etiam est Jesus noster in Bethle-
hem & accuratè ejus genealogia demonstrari potest ut ex Evā-
gelistis,

gelistis, (quorum nobis autoritas sufficiens, nihil Judæorum blasphemias contumelias morantes) & historiis prophanis videre est, & hæc tractabili ingenio satisfacere possent, veruntamen ut Judæorum durum & contumax ingenium eo arctius premamus sequentia lubet addere.

Virginit.)

1. *Matris Messia conditionem*, Debit Messias nasci ex virgine purâ, quam vir non cognoverat, sicut Esaias prædixerat c. 7. 14. *Ecce virgo concipiet & pariet filiû & vocabit nomen ejus Immanuel.* Vox Immanuel seu nomen hujus pueri, quod idem ac Deus nobiscum, communi homini dari & attribui vere non potest, unde contra adversarios colligimus, textum hunc non de nudo homine ut est vel uxor Prophetæ vel alius quidam, sed vero Messia, qui verè Immanuel θεῶν ἄνθρωπος Deus & Homo est, intelligi debere; Nā de quo puero hic textus loquitur a virgine nascituro is est Immanuel id est θεῶν ἄνθρωπος; At non purus & nudus homo, sed verus Messias est Immanuel, Ergo non de puro & nudo homine sed vero Messia loquitur textus. Eviecto autem textum de Messia loqui, matris virginitatem demonstramus. ex voce מַלְאָכָה quæ in scripturis quoties legitur, ubiq; puram & intactam virginem denotat; Quod etiā Etymologias ratio evincit. Deducitur enim ab inusitatâ radice מַלְאָכָה quæ in Niphal מַלְאָכָה abscondidit latitavit significat, hinc nomen מַלְאָכָה virgo latitans, a conspectu virorum abscondita, & privatis parietibus se continens, sicut ab eadem radice nomen virilis sexus derivatur מַלְאָכָה adolescens puer, quod itidem talem significat puerum qui domi latitat nec mulierem cognovit. Argumentum: Cui vox מַלְאָכָה tribuitur, illa est pura & illæsa virgo, Matri Messia vox מַלְאָכָה tribuitur. E. mater Messia est pura & illæsa virgo z. ex voce מַלְאָכָה signum; Promittebatur domui David signum, quod erat partus virginis, si autem hunc partum seu filium ex congressu viri, secundum consuetum naturæ cursum nasciturum dicamus, quæ erit novitas, quâ signum hoc cognosci queat? nonne talia signa quotidie nobis dantur? colligimus ergo: Partus hujus מַלְאָכָה debuit esse in signum; partus ex congressu

gressu viri secundum communem naturæ cursum non potest esse in signum. Indefinitè enim loquitur Propheta, nec certam personam determinat, quare si partus hic ut signum præ aliis filiis debeat cognosci, illi aliquid singulare concedendū, quod nil nisi virginitatem matris ponit Propheta. E. partus hujus *עלמה* non est partus ex congressu viri secundum usitatum pariendi modum, & vice versâ. Debit autem esse filius & quidem hominis, requiritur ergo & mater, sine matre enim filius hominis non nascitur; Illa autem mater pariet sine congressu viri. Ergo & virgo erit, Argumentum est tale: Mater sine congressu viri pariens est virgo, Mater Messiaë seu filii hujus est pariens sine congressu viri, E. Mater Messiaë seu filii hujus est virgo.


Idem prædixit Jeremias c. 31. 22. *Creabit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum.* Hunc textum de Messiaë ejusq; nativitate interpretantur Rabbinii, quorum verba legi possunt apud Gal. lib. 7. c. 14. Vocem *נקבה* Judæi ob etymologias rationem arrodunt, eamq; semper in scriptura *feminam virum passam* significari cavillantur, quibus opponimus Gen. 1. 27. *creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum ונקבה וזכר masculum & feminam creavit illos, idem repetitur c. 5. 2. sic Levit: 12. 7. ista lex parientis לזכר או לנקבה masculum aut feminam, quibus in locis נקבה virginem mundam significare vel cæcutienti apparet. Idem hoc loco notare, probatur ex novitate rei quam Dominus creaturus est, & emphaticè admodum adjungitur verbum *נברא* creabit, innuens non hominis opus & factum vulgare hoc fore, sed creatoris, qui creabit hoc novum & non communi ratione *עשה* faciet, sed *נברא* creabit. Argumentamur: Ratio nativitatis, de qua Propheta loquitur erit planè nova & singulari ratione à Deo effecta. Ratio nativitatis ex congressu viri & mulieris, non est nova & singularis sed communi modo à Deo effecta. E. Ratio nativitatis de qua Propheta loquitur non est talis, qualis ejus quæ est ex congressu viri & mulieris. Et per consequens cum femina hæc circumdabit virum, hoc est ex Rabbinorum*

testimoniis, Messiam pariet, erit illa femina virgo. Talem ergo formamus *ἡ πόδες* *ξ'iv*: Qui cunq; ex virgine natus est, illi competit verum veri Messiae signum. Jesus Nazareus ex virgine natus est, E. Jesu Nazareno competit verum veri Messiae signum. Minorem eousque veram ex Matt. 1. 18. Luc: 2. 27. 34. credimus donec blasphemi Judaei contrarium, Mariam videlicet matrem Jesu virum esse passam, certis firmisq; rationibus probaverint.

2. *Messia praecursorem*: De hoc praecursore loquitur Es. c. 40. 3. *vox clamantis in deserto, repurgate viam Jehovae, rectam facite in solitudine viam Dei nostri*, Malachias propius accedit & praecursorem hunc Etiam nominat, ita enim loquitur c. 3. 1. *Ecce ego mitto angelum meum, & preparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum dominator, quem vos queritis, & angelus testamenti, quem vos desideratis.* c. 4. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Haec vaticinia de Messia interpretantur Rabbini, ut probat eorum testimoniis Galat. 1. 3. c. 12. Ut & hodierni Judaei nondum venisse Messiam probare conantur, quia Elias nondum venit, concedentes hoc modo ante Messiam Eliam venturum; quae de causa ex traditione majorum hodie in circumcissionibus puerorum duas sedes praeparant alteram pro Elia; quem in circumcissione adesse credunt; alteram pro circumcidente puerum. Verum ut allegata vaticinia de praecursore Messiae recte intelligunt Judaei; ita de praecursoris persona gravissime hallucinantur, non enim ipse Elias, sed persona in spiritu & potestate verbi Eliae Prophetae similis, quin & major, ventura erat, quam jamdudum venisse & Jesu Messiae nostro viam praeparasse nobis ex ipsius Messiae testimonio constat Matt. 11. 9. *sed quid exiistis videre? Prophetam? imo dico vobis & plus quam Prophetam, hic enim est de quo scriptum est, Ecce ego mittam angelum meum ante faciem meam, qui preparaturus est viam tuam ante te:* adde Matt. 17. 10. seqq. Judaei vero a Josepho Historico qui libro 18. Antiq. c. 7. honorificam baptismi Johannis mentionem facit, convicti, idem plane negare non possunt, unde nos colligimus: Cui praecursor

for

for Messiaë viam præparat, illi competit nota veri Messiaë, Jesu Nazareno præcursor Messiaë viam præparat: E. Jesu Nazareno competit nota veri Messiaë.

3. *Ingressum Hierosolymitanum super asinum*: De hoc Zach. 9. 9. legimus: *Exulta satis filia Sion, Jubila filia Jerusalem, ecce rex tuus veniet tibi justus & salvator ipse pauper & vebitur super asinam & super pullum filium asinae*: hunc textum de Messia loqui probamus. 1. *ex contextu*: agit enim totum hoc, ut & sequentia duo capita de Messia, quod lectori patet, quare igitur hæc verba de eo excludamus. 2. *ex descriptione hujus regis*, ejusq; adjunctis epithetis; describitur enim quod sit *pauper* & tamen *potestas* *ejus à mari usq; ad mare, à fluminibus usq; ad fines terra*; quod sit *pacis annunciator*, idq; absq; ullis armis bellicis; quod sit *vinitorum liberator*, & *redemptor è lacu, in quo non est aqua*, quæ de nudo homine dicere *ἀτοπον* est, sed talem requirunt hominem, qui simul major sit homine, hoc est, *θεαίθρον* , qualem Messiam verum esse novimus 3. *ex consensu Rabbi Salomonis*, qui impossibile esse dicit hunc locum aliter, quam de rege Messia exponi. Christiani 4. adjungere possunt citationem in N. T. Matt. 21. 7. Marc. 11. 2. seq. Luc. 19. 30. Joh. 12. 15. Argumentamur itaq;: Quicumq; super asinam venit, ad filiam Sion, & filiam Hierusalem, id est, tali pompâ Jerusalem ingressus est, (justus & Salvator) illi nota veri Messiaë competit: sed Jesus Nazareus tali pompa ingressus est Jerusalem; E. Jesu Nazareno competit signum veri Messiaë. Minorem probo ex supradictatis locis N. T. tum ex testimonio gentium, Christianos exinde *asinarios* vocantium, teste Tertulliano in Apolog. c. 10. Et deniq; testimonio ipsorum Judæorum negantium Jesum esse verum Messiam, propterea quod asino, animali immundo, insederit.

4. *Passiones & afflictiones*: Graphicè admodum passiones Messiaë describuntur Es. 53. & Psal. 22. ubi ejus contemptus, vulnera, percussio, illusio, manuum & pedum perfossio, interpretaricatores numeratio, vestimentorum divisio & distributio,



tio, mors, & plura alia enumerantur; quæ vaticinia de nullo alio quam Messia intelligenda esse facile probatur. Caput 53. Thargum Jonathæ de Messia exponit, priora enim ejus verba ita vertit: *Ecce prosperabitur servus meus Messias* 2. sapientiores Judæi de eodem intelligunt, Rabbi Ab: Esra super Es. 52. fateatur, Magistros Hebræorum affirmare, quod hæc *de Messia* intelligantur; videatur Galat: lib: 3. c. 14. 15. 16. 3. prædicata illa de alio quam Messia exponi non permittunt, de nemine enim probare potest, *quod languores nostros tulerit, quod propter peccata nostra vulneratus sit, quod livore ejus sanati simus, quod nullam iniquitatem fecerit, neque dolus in ore ejus inventus fuerit, quæ de hoc servo prudenti affirmantur.* Taceo convenientiam cum aliis Scripturæ textibus, qui de Messia spirituali benedictione, regno, exinanitione & exaltatione agunt, quibus per omnia consentit Esaias dicto capite. Psal. 22. itidem de nullo alio intelligendus quam de Messia, de quo dicitur, *quod à Deo derelictus sit, quod manus & pedes ejus confossi sint, quod omnes deriserint eum, & moverint capita, dividerint vestimenta ejus & super vestem ejus miserint sortem, sicut & Evangelistarum testimonio, quorum auctoritas irrefutabilis, constat, confer Matt. 27. vers. 39. 46 35. Joh. 19. 23. Marc. 15. 19. & c. nec possunt eadem Judæi vel Davidi, vel sibi ipsis, vel alii applicare ut de Rabbinorum consensu nihil dicam.* Argumentum: Cui competunt afflictiones & passiones c. 53. Es. & Psal. 22. depictæ, illi competit signum veri Messia: Jesu Nazareno competunt afflictiones & passiones cap. 53. Es. & Psal. 22. depictæ: E. Jesu Nazareno competit signum veri Messia, Minor patet ex historica Evangelistarum narratione & proprio judæorum consensu, qui propter abjectam & humilem Jesu Nazareni formam ipsum pro Messia agnoscere recusant.

Plura addere nostri instituti ratio non permittit, ex iis quæ diximus talem formamus *ἀπόδειξις*. In quo concurrunt signa veri Messia, is est verus Messias, *εὐδηλον*. In Jesu Nazareno concurrunt signa veri Messia; ut ex principalioribus & manifestiori-

stioribus probatum & reliquis probari potest. E. Jesus Nazarenus est versus Messias, id quod prodandum fuit.

Antithesin formare videntur Judæi talem; Messias nondum venit, sed propter peccata, quæ multiplicata sunt, adventum suum differt, & licet natus concedatur, mansit tamen apud Enoch & Eliam, suo tempore venturus.

Accuratam antithesin ἀναστροφῆν instituire nimis prolixum foret, itaq; brevitatis ergo subijciemus saltem, & breviter refutabimus argumenta Judæorum, quibus adventum Messiae & per consequens Jesum Nazarenum esse verum Messiam, negare se posse putant. Urgent autem 1. ex Es. 2.2. seqq. *novissima tempora* quibus venire debet Messias, quæ non dum venerunt, item *montis templi domini supra capita montium elevationem*; *omnium gentium ad Messiam congregationem*; *hilarem ad templum Domini* (non autem Petri vel Nicolai) *accessionem*; *gladiorum in vomeres, lancearum in falces commutationem*, & *perpetuam pacis continuationem*, quorum nullum hæcenus factum est vel adhuc fit. 2. Ex ejusdem Prophetæ c. 11. 6. *ferarum mansuetudinem* & *luporum cum ovibus cohabitationem*. 3. Ex eodem Es. c. 53. 10. & Psal. 89. 30. *seminis posteritatem*. 4. ex Deut. 30. 3. 4. *Judæorum per totum terrarum orbem dispersorum collectionem*. 5. ex Joel. 3. 18. Am. 9. 13. *montium vino & lacte distillationem*. 6. deniq; ex Zach. 6. 12. *templi tertij adificationem*, quorum vaticiniorum nullum impletum sit.

Reponimus autem Judæis 1. has generales regulas. 1. *Propheta res spirituales & caelestes describunt sæpius per corporeas & mundanas*. Et hoc quoq; in ijs fit vaticiniis, quæ de beneficiis Messiae agunt, nec aliter fieri potest, nam & sancti patres ante adventum Messiae demortui, beneficiorum Messiae Participes fieri debebant, quod in corporalibus beneficiis locum non habet. Nec possunt omnia vaticinia secundum literam intellecta verificari: ut quod *arbores manibus plausura* dicantur Es. 55. 12. id impletu impossibile est, si literam & non sensum potius respicias. Tum etiam contrarium sæpius de regno Messiae prædi-

Obj.

1.

2

3

4

5

6

prædictum est, sic perpetuæ paci repugnat *acerrima pugna cornu
adversus sanctos* Dan. 7. 18. 21. perpetuæ lætitiæ contrariatur
Messia paupertas Zach. 9. 9. & *passiones* Es 53. Psal. 22. Quando
igitur mons templi Domini super omnes montes elevari dicitur,
*id non de situ locali sed dignitate & signorum ac miraculorum
magnitudine accipiendum est; læta ad templum Domini acces-
sio non notat ingressum hujus vel illius ædificij, sed veram ve-
ri Dei agnitionem & spontaneum cultum; pax non prædicitur
mundana sed spiritualis; ferae mitescent, sed non agrestes ac be-
stiales, verum spirituales, id est, gentes extra Ecclesiam feroci-
ter instar ferarum agentes; sic lupi & agni, id est: gentes & Judæi
congregabuntur & cohabitabunt; semen relictum est, non car-
nale & physicum, sed spirituale & Theologicum, quale erant
discipuli Christi ex doctrina ejus nati; lacte & vino stillave-
runt montes, sed lacte & vino verbi divini; templum quoq; æ-
dificabitur non autem terrenum, sed cæleste in altera Hiero-
solyma. 2. Plurima vaticinia implentur in hac vitâ saltem in-
choativè; in alterâ demum perfectivè; ob humanæ naturæ restau-
rationem in hac vitâ inchoatam, in alterâ demum perficien-
dam. 3. Duplex Christi adventus alter humilis in carnem de quo
Es 53. Zach. 9. alter gloriosus ad judicium, de quo Dan. 4. 14. non
facit duos Messias; nec unus alteri opponendus sed subor-
dinandus.*

2. In specie 1. *Novissima* tempora non intelliguntur
simpliciter, sed secundum quid, non tempora mundi, sed tem-
pli secundi & regni judaici, quæ tempota dicuntur fines die-
rum Jer. 49. 39. 2. quando omnes ad Messiam congregandi di-
cuntur, vox omnis non denotat *singula generum, sed genera singulo-
rum*, & ita vox כָּל omnis usurpatur 2. Sam. 16. 22. C. 17. 14. 3. Deut.

30. non agitur de temporibus Messia, sed reditu ex capti-
vitate Babylonica, quod ex Neh. 1. 8. Ez. 38. 25. vide-
re est. Reliquorum refutatio ex regula pri-
ma generali patet.

Thefis

THESIS SECUNDA.

*Jesus Christus est natura verus ac aternus
Deus, per aternam generationem modo
arcano & imperscrutabili à patre geni-
tus, ejusdē cum patre essentia, potentia ac
gloria, distincta à patre & Spiritu San-
cto persona.*

Εξήγησης.

Distinctionem inter *Deum natura & officio* (quā ad negan-
dam veram Jesu Christi deitatem & divinitatem usurpāt Pho-
tiniani,) legitimè suo loco adhibitam, non rejicimus; sed eam
hoc loco adhiberi non concedimus: quocirco in thesi addi-
mus, Christum *non officio tantum, sed naturā verum ac aeternum*
esse Deum, quam assertionem probamus.

(Vox Deus)

1. *A propriis Dei nominibus; qualia sunt nomen Jehova;*
nomen *Elohim seu Deus, & nomen Adonai seu Dominus.* Nomen
יהוה est nomen essentiale ac proprium solius Dei, ut ortho-
xâ thesis habet, cujus probatio ad locum de nominibus DEI
propriè pertinet: Verum ne supponere videamur id, de quo
maxima lis est, & ita sine fundamento disputare, eandem uni-
co stabiliemus fulcro. Es. 42. 8. dicit Dominus, *Ego Jehova, hoc
est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo.* Ostendit hoc
in loco Deus pater, quis sit ille qui futurum Messiam ad redi-
mendum populum suum missurus sit, nempe is verus DEUS,
qui dicitur proprio nomine Jehova, *qui creat caelos, & extendit
eos, qui firmat terram, & quae germinant, ex ea v. 5. qui nova quoque
annunciat, & ante quam oriantur audita facit v. 9.* Opponit se i-
gitur verus ille Deus aliis fictitiis, falsis & non naturā Diis 1. o-
peratione propriā, creatione sc. coeli & terrae v. 5. 2. nomine proprio;
quod est Jehova, & dicit gloriam illam missionis Messiae, de qua

D

illo

illo in loco agitur, alij non dandam, nisi huic Deo qui dicitur, & cujus nomen est Jehova. 3. *futurorum predictione*, qui prædicat antequam orientur. Hinc ex lege oppositionis talis eritur argumentatio: Quo nomine se Deus alijs non natura Dijs opponit, illud nomen non potest alijs non naturâ Dijs cum vero Deo esse commune, sed solius veri Dei proprium: Ratio consequentiæ firma est, in quo enim opponuntur in eodem non possunt convenire, sed in hoc nomine Jehova, Deus alijs non naturâ Dijs se opponit. Ergo hoc nomen Jehova non est alijs, non naturâ Dijs, cum vero Deo commune, sed illius proprium.

Nomen Elohim magistratui *honorifice*, idolis verò *ironice* attribui, nullum est dubium; peculiari tamen modo ac ratione summo ac æterno Deo proprium esse probamus, ex aliorum Deorum exclusione, ut Deut. 32. 39. *videte nunc, quod ego ipse sum, & non est Elohim mecum* Psal. 86. 10. *Tu Elohim solus es,* Esa. 46. 9. *Ego Deus & non est ultra Elohim, & non est sicut ego,* Eph. 4. 6. *Unus est Deus & pater omnium qui est super omnia.* 1 Cor. 8. 6. *Et si sunt qui dicantur Dei in cælo & in terra, si quidem sunt Dii multi & Domini multi, nobis tamen est unus Deus.* Hinc ita argumentatur: Quâ ratione non nisi unus Elohim & Deus, ea ratione nomen Elohim alijs non attribuitur, sed illius unius proprium est: sed certâ quadam ratione non nisi unus Elohim, & Deus est. E. certâ quadam ratione nomen Elohim alijs non attribuitur, sed illius unius h. e. veri Dei proprium est, seu: sub quo nomine omnes non naturâ Dii, à verò Deo excluduntur, illud nomen solius veri Dei proprium est: sed sub nomine Elohim omnes alij non natura Dij, à verò Deo excluduntur; E. nomen Elohim est solius veri Dei proprium.

Eâdem plane ratione vox Dominus verò Deo peculiaris est, Act. 6. 14. *Dominus aperuit cor Lydie,* 2. Thess. 3. 5. *Dominus dirigat corda vestra in charitate Dei & patientia Christi* Eph. 4. 5. *unus est Dominus.* Quapropter ut certæ sint *ἰσχυροῦς* notæ, quibus dignosci queat, utrum hæc nomina verum & æternum, an crea-

an creatum Deum denotent, Theologi has formant regulas:
 1. *Ubicunq; nomen Dei ponitur absolute, ibi pro vero non Λεγούμεν
 θεῶ accipiendum est, nisi circumstantia textus contrarium ostendant.*
 2. *Vox Dei proprie pro vero Deo accipitur, ubicunq; in scripturis ei-
 dem assignantur Epitheta, vel nominalia, vel attributiva. soli Deo cō-
 petentia.* 3. *Vox Dei improprie accipitur, quando vel in bonam par-
 tem de magistratibus politicis, & quidem singulariter aut pluraliter;
 vel in malam partem de idolis & gentium Diis dicitur.* 4. *Vox Ado-
 nai seu Dominus in subiecto verum Deum notat, quando cum voce
 Jehova aut Deus conjungitur.* 5. *Notat verum Deum, quando in
 predicato adduntur epitheta & attributa Dei propria.* Plura legi
 possunt apud Hunn. Exam. Error: Photin. de nominibus Dei
 p. 196. Himmel. photin. disput. 3. thes. 12. seqq. Nos ita argumē-
 tamur. Cuiunq; attribuitur nomen Jehova; nomen Elohim
 seu Deus; nomen Adonai seu Dominus in significatione supe-
 rius determinatā, illi attribuuntur nomina veri Dei propria:
 Christo hæc nomina in tali significatione attribuuntur. Ergo
 Christo attribuuntur nomina veri Dei propria.

Majore probatā accingimus nos ad minorem, & quidem
 nomen Jehova Christo attribuitur 1. Jes. 6. 1. *Vidi יהוה seden-
 tem super solium excelsum & elevatum, & fimbriae ejus replebat tem-
 plum & c. v. 9. audite audiendo, & non intelligite, videte videndo, &
 non cognoscite.* Hæc verba allegantur à Johanne c. 12. 41. & ad-
 ditur ibidem: *hæc dixit Esaias, quum vidit gloriam ejus, (Christi)
 & locutus est de eo.* Ex quibus locis collatis ita argumentāmur.
 Cujus gloriam Esaias vidit hæc loquendo, is est Jehova Es. 6.
 1. Atqui Christi gloriam Esaias hæc loquendo vidit. E. Chri-
 stus est Jehova.

2. Es. 40. 3. *Vox clamantis in deserto, parate viam יהוה, re-
 ctificate in planitie semitas ejus.* Ex quo argumenta: Cui vox in de-
 serto viam præparat, is est Jehova; Christo vox in deserto viam
 præparat; Ergo Christus est Jehova. Minor probatur hoc mo-
 do. Cui Johannes Baptista viam præparat, illi vox in deserto
 viam præparat, quia Johannes Baptista est illa vox clamantis

יהוה

יהוה

in deserto. Matth. 3. 23. Atqui Johannes Baptista Christo viam præparat Joh. 1. 29. Hic est (verba Johannis) de quo dixi, post me venit vir, qui ante me factus est, qui prior me erat, c. 3. 29. Non sum Christus, sed quia missus sum ante illum. Ergo Christo vox in deserto viam præparat.

3. Eccl. 45. 18. 22. 23. cum quo confer Rom. 14. 11. Philipp. 2. 10. ubi tale est argumētum. Cui flectetur omne genu, & omnis lingua cōfitebitur, is est Jehova creans cælos, formans terram, & ultra quem non est Deus. Eccl. 45. Atqui Christus est is cui flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Rom. 14. Apostolus enim probaturus, nos coram tribunalī Christo sistendos, adducit hunc locum, unde tale formandum esset Apostolo argumentum: Cui flectetur omne genu, ante illius tribunal sistemur; Atqui Christo flectetur omne genu; Ergo ante tribunal Christi sistemur. Hujus argumenti minorem si negare velint adversarij omnem vim argumenti Apostolici enervant, quod cum fieri nequeat, firma relinquenda est minor Apostoli, quæ etiam nostra est. Firma itaque etiam manet conclusio, Christus est Jehova creans cælum & formans terram, & ultra quem non est Deus.

Ac hæc de nomine Jehova; nomen אלהים Christo attribuitur 1. Psal. 45. 7. *Thronus tuus Elohīm in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui;* quæ verba Thargum seu paraphrasis Chaldaica de Messia exponit, & epistola ad Hebræos cap. 1. 8. eidem applicat. Nomen a. Elohīm hic in propriâ & principali significatione sumi, probo. 1. à regni aternitate, quia thronus hujus Dei in seculum seculi. 2. à creatione cæli & terræ &c. de quo enim hic dicitur, quod sit Elohīm, de eodem etiam affirmatur ex Psal. 102. 26. *quod in principio terram fundaverit, & opera manuum ejus sint cæli,* dicto c. 1. Heb. v. 10. 3. ab appellatione vocis Jehova: quæ in Ps. 102. huic creatori, qui hic Elohīm dicitur, datur. Unde argumentum: Cujuscunq; Elohīm thronus seu regnum est æternum, qui creavit cælum & terram, diciturq; Jehova, is est Elohīm propriè & principaliter ita dictus; Atque Christus est talis: Ergo.

2. Tit.

אלהים

2. Tit. 2. 13. *Exspectantes beatam spem, & adventum gloriae magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Hoc in loco sermonem esse, de vero ac æterno Deo, additum epitheton clarissimè demonstrat, ut nec adversarij id negare audeant; verum Christum hunc magnum esse Deum concedere nolunt, cum Christus à magno illo Deo, ut alia persona, per particulam Et distingueretur, sed particulam Et non distinctivam, sed copulativam esse, ut in alijs 2. Pet. 1. 1. 2. Cor. 1. 3. Eph. 1. 2. Sic etiam in hoc loco docet. v. 10. in quo Salvator noster, de quo etiam v. 13. agitur, dicitur absq; copulâ redemptor noster Deus, quâ ratione ergo hoc versu dicitur Deus, eadē etiam v. 13. dicitur magnus Deus cum adjecto epitheto, nisi evidens diversitatis discrimen ostēdatur. 2. articulus præpositus, τῷ, qui semel tantum præpositus, nec iteratus, ut dicat, τῷ μεγάλῳ θεῷ, καὶ τῷ σωτῆρι, sed θεῷ καὶ σωτῆρι, unam & non duas personas per Deum & Salvatorem intelligi docet, (quod objiciāt adversarii Luc. 16. 29. *habent Moysen & Prophetas, καὶ τῶν τεσσάρων*, ubi articulus semel tantum positus notat diversas personas, distinguendum est inter prophetarum personas & doctrinam, non de personis sermo est, has enim non habebant, sed mortuæ erant, sed doctrina, quæ una & non multiplex est, Luc. 19. 14. *per vendentes & ementes* possunt eadem & non diversæ personæ intelligi, ut sunt mercatores. Eph. 5. 5. nobis non contrariatur.) 3. Vox *Ἐπιφάνεια*, quæ de glorioso Christi adventu ad iudicium usurpatur, & soli filio, nunquam patri in Scriptura N. T. attribuitur, quippe qui *veniet in potestate magnâ*, Matt. 25. 31. *& cui pater dedit iudicium*, Joh. 5. 22. Potest etiam hoc observari, quod phrasis *adventus gloriae* sit hebraica pro adventu glorioso posita. Unde argumentamur. De quâ persona hic agitur, & cui tantum *Ἐπιφάνεια* attribuitur, de illa dicitur, quod sit *μέγας θεός*. Atqui de Salvatoris Christi persona hic agitur, & eidem tantum *Ἐπιφάνεια* attribuitur. Ergo de Salvatore Christo dicitur, quod sit *μέγας θεός*.

3. Johan. 1. 1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud*

D 3

Deum

(Tit. 2. 13. 13.)

ἐπιφάνεια

ἐπιφάνεια



Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil quod factum est. Dicitur hic expressè λόγος qui caro factus est, Deus, & quidem talis qui 1. fuit à principio id est, eterno, triplicis enim principii in scripturis fit mentio, (1.) principii N. T. Marc. 1. 1. (2.) principii temporis seu creationis Gen. 1. 1. (3.) principii imaginarii temporis, quod est ipsa æternitas, 2. Theff. 2. 13. cum quo confer, 2. Tim. 1. 19. Eph. 1. 4. Primum principium h. l. intelligi non potest, hoc enim non antegreditur creationem, quæ tamen hoc principio posterior facta describitur v. 3. secundo sufficeret ad evincendam Christi æternitatem, cum fuisse dicitur λόγος in hoc principio, & sic ante illud principium extiterit; quod etiam principium ipse Apostolus & Evangelista intelligere videtur, & ad verba Mosis respicere: Emphaticum, tamen est principium posterius, & absolute æternitatem innuit, ut non incommode hic intelligi possit, & sic etiam Deū, quando æternum dicere vult idem Apostolus, dicit quod fuerit ἀπὸ ἀρχῆς, 1. Joh. 2. 13. qui creaverit omnia. Ubi frivolum est effugium querere, vel in voce ἀρχῆς, ascribitur enim creatio Christo alibi absque hac particulâ Heb. 1. 10. additurq; etiam quandoq; hæc particula operibus divinis, quæ patri attribuuntur, ut 1. Cor. 1. 9. Gal. 1. 1. vel in voce factum esse, non enim tantum regeneratio hominum, per hoc factum esse intelligitur, nam illa non tantum facta est, sed etiam alia, quæ autem facta sunt, per hunc λόγον facta sunt, & sine illo factum est nihil. Nec admittit illam elusionem v. 10. qui quæ per ipsum facta dicuntur v. 3. vocat mundum Christum non apprehendentem, regenerati autem omnino Christum apprehendunt, eumque recipiunt v. 12. 3. est fidei objectum v. 13. quod tamen solus Deus Jer. 17. 5. Rom. 10. 14. cum quo confer Matt. 4. 10. Brevitatis ergo addi hic potest locus 1. Joh. 5. 20, ubi Christus verus Deus ὁ ἀληθινὸς θεὸς dicitur. Argumentamur ergo. Quicumque dicitur Deus, qui fuit ab æterno, qui creavit cælum & terram, in quem creditur, & qui verus est Deus, is dicitur Deus proprie & primario ita dictus; Christus dicitur talis Deus. Ergo.

Ter-

principia)

ipso creator.

Tertium deniq; nomen datur Christo Luc. 2. 11. *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus, Dominus in civitate David.* Mal. 3. 1. *Statim veniet ad templum suum* יְהוָה, *Dominus quem vos queritis.* Quē textū de Messia loqui supra probatum est; ut a. ab aliis vulgarib. Doming discernatur, dicitur *Dominus unus* 1. Cor. 8. 6. *Dominus de cælo* c. 15. 47. *Dominus gloria* c. 2. 8. *Dominus Dominantium* Apoc. 17. 14. c. 19. 16. Qui igitur dicitur Dominus unus, Dominus glorię, Dominus Dominantiū, is dicitur Dominus propriè ac primariò ita dictus; Christus dicitur talis. Ergo. Et sic etiam sufficienter probatā minore superioris argumenti: ita concludimus. Cuicumque attribuuntur nomina Dei propria, is est verus ac æternus Deus; Atqui Christo attribuuntur nomina Dei propria; Ergo Christus est verus ac æternus DEUS.

Doming.

2. *Aproprietatibus divinis; quales sunt 1. Æternitas.* Tactum explicatumq; fuit hoc argumentum quodammodo superius, ubi *thronus Christi in seculum seculi dicitur mansurus, ipseque ante creationem mundi in principio fuisse affirmatur, quæ satis æternitatem ipsius evincunt.* Ex abundantia addimus etiam hæc. Johan. 1. 27. *hic est qui prior me (Johanne) erat* cap. 5. 58. *antequam Abraham erat, ego sum, cap. 17. 5. glorifica me pater, apud te ipsum eam gloria, quam habui prius apud te, antequam mundus fieret, Col. 1. 17. omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Ex quibus talia struuntur argumenta. 1. Si Christus fuit ante Johannem & Abrahamum, est æternus; At verum prius. E. & posterius. Majorem simpliciter acceptam ipsi invalidam agnoscimus, verum ex hypothese adversariorum, qui Christi initium existendi ad tempus nativitatis ex Mariâ virgine demum referunt, nec aliud ejus existendi principium agnoscunt, (quod nec ipsa scriptura aliud nisi æternum agnoscit,) firma est consequentia; Nam cui ante tempus nativitatis Christi ex beatâ virgine omne denegetur, sive per creationem, sive per temporalem generationē, existendi principium, is, si fuit ante illud tempus, est æternus; At ad;

æternus.

At adversarii denegant Christo tale existendi principium; E. si fuit Christus ante illud tempus, ut fuisse affirmatur, est æternus. 2. Quicumque fuit antequam mundus fieret, & ante omnia, is est æternus; Christus fuit antequam mundus fieret, & ante omnia; E. Christus est æternus. Majorem inficias ibunt adversarii, durationem non æternam ante mundi constitutionem sibi fingentes, verum contra scripturam, quæ non nisi æternum ac divinum ante mundi cōstitutionem agnoscit, quod in loco de attributo æternitatis divino fufius probatur. Minor quoad prius membrum negari nequit, & ulterius postea probabitur: posterius membrum, non de prioritate essendi, sed dignitatis exponunt adversarii, sed cum dignitas & præstantia non in allegatis verbis, *ipse est ante omnia*. Sed subsequentibus, *Et ipse est caput Ecclesie*, doceatur, Apostolo tautologiam attribuere nō possumus; imò verò fuit ita ante omnia, ut universa in cœlo & in terrâ, visibilia & invisibilia &c. per ipsum & in ipso condita sint. Concludimus ergo pro Deitate Christi hoc modo: Quicumque est æternus, ille est verus Deus; Nam quodcunq; creatum est, illud non est æternum; & quod est æternum, illud non est creatum, sed increatum & Deus. Atqui Christus est æternus; E. est verus Deus.

2. *Omniscientia*: Joh. 21. 17. *Domine tu omnia nosti*, c. 16. 30. *nunc scimus quod scis omnia* c. 2. 25. *opus ei nō erat, ut quia testimoniū perhiberet de homine, ipse enim sciebat, quid esset in homine*, Apoc. 2. 18. 23. *Hæc dicit, filius Dei, ego sum scrutans renes & corda*. Matt. 9. 4. *assignatur ei cognitio cogitationū cordis*: quæ omnia sunt solius Dei propria, qui *solus novit corda omnium hominum*, 1. Reg. 8. 39. *qui novit cogitationes hominum*, Pl. 9. 4. 11. *nec sicut homo videt, nam homo videt ad oculos, Deus autem videt ad cor*. 1. Sam. 16. 7. Argumentum est tale: Qui omnia, etiam occulta cordium novit, is est verus Deus; Christus omnia etiam occulta cordium novit; E. est verus Deus.

3. *Ab operatione miraculorum*. Miracula veram deitatem arguere ipse Deus docet, idcirco cum summus ille Jehova
maje-

mani/69.

miraculorum
auctor.

majestatem & Deitatem suam coram Pharaone manifesta-
re voluit, jussit Moysi & Aarone, ut in ipsius nomine miracula
ederent, Exod. 7. 17. c. 8. 10. Sic Christus ipse se esse in patre, &
patrem in ipso, & sic se æqualem esse patri, ut propter opera
credant, discipulos adhortatur. Rectissime ergo ex miraculis
Christi, quæ passim in historiâ Evangelicâ describuntur, deita-
tem ipsius probamus; Non enim sicut alij ministerialiter illa fe-
cit, sed *virtute propriâ*, ita ut alijs quoq; hanc potestatem faciē-
di miracula dederit, Matt. 10. 8. Luc. 9. 1. Hinc, cum Christus ea-
dem, in suo nomine efficeret, Matt. 8. 3. *Ego volo, mūdus esto*, Luc.
9. 14. *dico surge. iterū* Marc. 5. 41. Apostoli non in suis sed Christi
nomine illa effecere, Act. 3. 6. *In nomine Jesu Christi Nazareni sur-
ge & ambula.* c. 4. 10. *in nomine Jesu Christi Nazareni* astat ille
sanus c. 9. 34. *Ænea sanet. te Dominus Jesus Christus.* Ipse quoq;
miracula Apostolorum per eosdem operatus est, confirmans præ-
dicationem verbi subsequētib; signis, Marc. 16. 20. Quemadmo-
dum ergo Moses & Aaron Jehovam esse verum Deum proba-
runt, cum in ipsius nomine miracula eorum fierent, ita etiam
nos pro Deitate Christi ex miraculis, tum sui ipsius, tum Apo-
stolorum, in nomine Christi peractis, recte colligimus. In
cujus nomine miracula fiunt, & qui ipse propriâ virtute mira-
cula efficit, is est verus Deus; In Christi nomine miracula
fiunt, & ipse propriâ virtute ea efficit. E. est verus Deus.

4. *A cultu invocationis*, Heb. 1. 6. *Et cum iterum introducit*
primogenitum in orbem terræ, dicit. Et adorabunt ei omnes angeli
Dei. Rom. 14. 17. *mibi si flectetur omne genu, & omnis lingua con-
fitebitur Deo.* Ubi non necesse est latebras quærere in voce ad-
orationis, nam cum angeli Dei etiam Christi adoratori sint, ve-
rè religiosa adoratio intelligitur. Apostoli etiam quando ec-
clesijs & auditoribus suis gratiam & pacem precantur, eo-
dem planè modo à filio, quò à patre precantur. Et fides, quæ
est fundamentum fiducialis invocationis, & cum eâ æquè la-
tè patet. Rom. 10. 14, in eundem directa est Johan. 14. 1. Col-
ligo ergo: Qui religiosè invocatur & adoratur, is est verus

E

Deus;

adorandi.

Deus; solum enim Deum invocabis, & ipsi soli servies, Deut. 10. 20. Matth. 4. 10. Atqui Christus religiosè invocatur & adoratur; Ergo Christus est verus Deus, quod fuit primum in thesi demonstrandum. Dicitur ulterius Christus per æternam generationem modo arcano, & plane imperscrutabili ex patre genitus, quibus verbis & quæstionem, *an sit generatio filij, & quid sit*, quodammodo insinuamus. Prolixâ prioris quæstionis probatione supersedere nos posse putamus; cum in probatione posterioris, quid scilicet sit generatio, simul probetur quod sit. Diximus autem *modum* generationis esse arcanum & impervestigabilem, quod pia quoq; antiquitas semper confessâ est. Et piaculum potius quam pietatem ducimus, præpostero sciendi desiderio in id inquirere, quod Deus absconditum voluit. Proinde curiosè *in modum generationis* non investigabimus, ne scrutatores majestatis opprimamur à gloriâ, sed scripturæ ductum sequentes hæc duo observamus, quæ nobis de hac generatione revelata sunt.

1. Generatio filij à patre non demum in tempore, sed ab æterno facta est.

2. Generatio filij à patre est propria, (non tamen physica, hæc enim multas in se habet adjunctas imperfectiones) cū producatur è substantiâ gignentis alius seu persona alia ejusdem naturæ; (intellige ejusdem, non specie; ut homo gignit alium hominem; sed numero; unde Deus non alium Deum, sed aliam tamen personam gignit.)

Prius probamus. 1. *scripturæ dictis*, ut sunt. 1. Psal 2. 7. *Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Hic notamus (1) *subjectum* de quo loquitur Psalmus, quod Christum esse, & circumstantiæ, & allegatio Apostolica Heb. 1. 5. ostendunt, (2.) vocabulum *hodiè*, quo æternitas, non temporale *vov* exprimitur, introducitur enim in Psalmo Jehova de filio suo loquens his verbis, *filius meus es tu, ego hodiè genui te*; est ergo hodiè non humanum & temporale, sed divinum & æternum, quale de Deo dicitur, potest ita concludi: Hodiè quod de Deo dicitur, illud est æternū. Nos

Hoc hodiè de Deo dicitur; E. hoc hodie est æternum. Major est certa, apud Deum enim non est heri & cras, non præteritum vel futurum, sed perpetuum hodiè & *vñv*, quando ergo vocabula temporis de Deo dicuntur, more aliorum terminorum ab omni imperfectione liberari debent. (3.) *Allegationis Apostolica scopũ*, propositionem statuit Apostolus dicto c. i. v. 4. hanc, *filius hic Dei tantò melior angelis factus est, quanto excellentius præ illis nomẽ hereditavit*. Hanc nominis excellentiam, quã excellentior Christi præ angelis natura probatur, ostensurus Apostolus, adducit Psalmi hujus verba, quis autem diceret, ex filiatione in tempore facta, Christum tam excellens nomen sortitum esse, quo nomine excellentior præ angelis probari possit? nonne potius ex æternâ filiatione, per æternam generationem factâ, tale nomen oriri dicemus? cum nulli angelorum talis generatio competat, & sic neque tale nomen, ut possit dici filius Dei, quem Deus genuit. (4.) Vocabulũ *בְּרֵאשִׁית*, quod quidem de creatione alibi usurpatur, hoc tamen loco de tali dicitur generatione, per quam filius existit.

2. Psal. 72. 17. *Ante solem propagabitur בְּרֵאשִׁית filiabitur à בְּרֵאשִׁית filius*. Ab: Esra explicat hanc vocem *בְּרֵאשִׁית filius vocabitur*. Psalmum autem de Salomone propriè non loqui ex v. 8. 9. 10. 11. colligi potest. 3. Proverb. 8. 24. *Nondum erant abyssi & ego jam בְּרֵאשִׁית (quod verbum propriè de parturientibus usurpatur) genita eram. v. 25. ante omnes colles ego genita sum*. 4. Mich 5. 2. *Egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis*: qui textus supra de Christo probatus est, hoc loco notemus. (1.) Vocis *בְּרֵאשִׁית* & significationem & numerum. Significat hæc vox generationem hoc loco, sicut usurpatur de generatione Gen. 10. 14. Deut. 28. 57 Job. 1. 21. Numerus est pluralis, cujus rationem reddit Rabbi Heccados hanc, quia duo sunt Messia egressus, alter *divinitatis*, aliter *humanitatis*. Rabbi Salomon Jarchi dicit, *Egressus Messie ab æterno*, & explicat per locum parallelum prius allegatum ex Psalm. 72. 17. (2.) vocem *בְּרֵאשִׁית*, quæ à rebus temporalibus ad cœlestes translata, non notat dies temporis sed

æternitatis. Talis ergo sit syllogismus: Quæcunque generatio facta est à diebus æternitatis, antequam abyssi & colles fuerunt, ante solem, in æterno hodie, & quâ quis excellentius præ angelis nomen nanciscitur, ut dicatur filius Dei, ea est æterna; Christi ex patre generatio est talis. Ergo Christi ex patre generatio est æterna.

2. *Legitimis consequentiis*. 1. ab æternâ patris paternitate: verum illum Deum esse æternum patrem, neminem facile negaturum confidimus. Nullus autem est pater antequam genuit, cum generatio paternitatis causa sit, ut posita generatione simul ponatur paternitas, & posita paternitate, ponatur etiam generatio. Hinc oritur consequentia: Æternus pater æternam arguit generationem; Hic pater est æternus; E. æternam arguit generationem.

2. A patris immutabilitate: Temporalis generatio omninò mutabilitatem arguit, quæ à Deo removenda est, qui *immutabilis* est Exod. 3. 6. Psal. 102. 28. & purus purus actus, quæ de causâ, omnia quæ in Deo sunt, æterna sunt, & nullam mutabilitatem admittunt. Stat ergo conclusio: Generatio temporalis facit in Deo mutabilitatem. Generatio filij non facit in Deo mutabilitatem. E. generatio filij non est temporalis.

Propriam non metaphoricam vel tropicam esse generationem probatur & *propriâ paternitate & filiatione*: Dicitur enim Christus *filius Dei, filius unigenitus, filius proprius* Johan. 1. 14. 18. c. 3. 16. Rom. 8. 31. & sic ex naturâ relatorum pater quoque proprius est. Quamvis ergo multi sint filij Dei per generationem *spiritualem*, unicus tamen hic est filius, unigenitus & proprius, qui est in patre, & pater in ipso. Quod ipsimet Judæi intelligebant, & interficere quærebant Christum, propterea, quod dixerat Deum patrem suum, *equalem se faciens Deo*. Joh. 5. 18. 19. Christus autem hanc Judæorum collectionem non refutat q. falsam, sed potius confirmat se rectè colligere, idq; ex similitudine operum patescere, quæ hic filius similiter ac pater operatur. Proinde acc. 10. 33. ipsum lapidare conabantur, quod

quod blasphemaret, & cum filius hominis esset, Deum se faceret, & diceret se filium Dei esse v. 37. sed respondet Christus: *si non facio opera patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia pater in me, & ego in patre.* Judæos ergo recte colligentes, sed credere nolentes, Jesum esse verum Deum, non reprehendit Christus ob collectionem, sed ob assensus negationem, & operam dat, ut, quod rectè cognoverant, etiam salutariter credant. Argumenta eruimus talia: Proprius filius propriam arguit generationem; sed Jesus est proprius patris æterni filius. E. propriam patris æterni generationem arguit.

Item: Ex quâ generatione genitus filius est similis secundum essentiam, i. e. specie eandem in creaturis) vel ejusdem essentia (numero in divinis) cum gignente, illa est propria; sic homo generatione propriâ gignit hominem. Sed ex generatione hac genitus filius non tantum est similis secundum essentiam, sed ejusdem plane essentia cum genitore patre; filius n. perinde ac pater est Deus, & facit eadem opera, quæ pater, juxta ipsius Christi approbationem: E. hæc generatio est propria.

Et nunc porrò *identitas essentia filii & patris* facile probatur, præsuppositâ n. essentia unitate; (Deus enim unus est & infinitus, infinitâ quoq; ejus essentia, quæ non nisi una esse potest, cum impossibile sit, duo dari infinita) & verâ Christi Deitate; quam per æternam generationem à patre cõmunicatam habet, quæ amplius in dubiũ vocari nec debet, nec potest; patris & filij eandem essentiam, sano judicio præditus animadvertit. Communicavit n. pater filio essentiam, non partialiter, est n. essentia simplicissima & indivisibilis; nec per multiplicationem, sic n. salva non esset unitas; nec per depositionem, quasi pater deposuerat essentiam, seq; eâ exuerat, sic enim pater non esset Deus: sed per generationem totam communicando, totâ sibi ipsi eandem retinendo. Argumentum: Cui vera divina essentia per æternam generationem communicata est; illi tota & patris essentia communicata est, Filio vera divina essentia per

Quod est



æternam generationem communicata est, E. filio tota & patris
essentia communicata est. Et per consequens ejusdem est cum
patre essentiæ, hinc etiam potentiæ & gloriæ.

lig. a Patre.

Restat nunc, ut tandem distinctam filij personalitatem à
patris & Spiritus S. personâ probemus. Quid sit persona notū
est; nimirum, *subsistens, individuum, vivum, intelligens, incommu-
nicabile, non sustentatum ab alio.* Non ergo litigabimus *de defini-
tione personæ*, cum scopus noster eo saltem tendat, plura in unâ
illâ individuâ essentiâ esse *supposita à se invicem distincta*, quam
pia antiquitas *personas* ex superius datâ definitione vocavit; nō
enim hic *disputamus*, an plura illa in unâ individuâ essentiâ sint
personæ; sed hoc ex loco de Deo *supponimus*, illud saltem ostē-
dimus, non eam naturam quæ Pater vel Spiritus S. dicitur in
Christo esse, sed eam, quæ dicitur filius, & quæ proprietate
quæ dicitur genitum esse, subsistit; & hanc naturam hac pro-
prietate subsistentem non esse eam, quæ dicitur pater vel Spi-
ritus S. Et hoc probamus:

1. *A diversis filii, a patre & Spiritu S. operib.* Actiones sunt
suppositorum, docetur in scholis philosophorum. Si ergo fi-
lius operatur, & actiones perficit, certè ut suppositum perfici-
cit; si diversa opera à patre & Spiritu S. perficit, diversum est
suppositum à patre & Spiritu S. Scriptura autem multas actio-
nes attribuit filio, quas à patre & Spiritu S. removet, sic filius
incarnatur, & carnem assumit; non pater vel Spiritus S. non e-
nim pater sed filius patris altissimi nascitur, nec Spiritus S. na-
scitur, sed ipse *supervenit in Maria* Luc. 1. 31. & seq. *Filius bapti-
zatur, pater vero de cælo clamat, Spiritus S. autem descendit in formâ
columbæ*, non pater vel Spiritus S. baptizatur. Matt. 3. 16. Luc. 3.
21. *Filius offert se*; non pater, aut Spiritus S.; patri, non Spiritui
S. vel sibi ipsi; per Spiritum S., non per patrem vel seipsū. Heb.
9. 14. *Filius mittit, non patrem, sed Spiritum S. à patre*, Joh. 15. 26. *Fi-
lius mittitur in mundum*, nō pater, sed à patre. Gal. 4. 4. Ita ergo
ratiocinari licet. Distinctis operib. distinguuntur personæ vel
supposita. Atqui filij & patris, ut & Spiritus S. opera quædam
distincta sunt. E. distinguuntur supposita vel personæ.

2. *Pro-*

2. *A proprietate personali.* Proprietas patris dicitur gignere, filii gigni, Spiritus S. procedere: gignere autem, gigni, & procedere sunt actiones personarum: quarum quædam si cōpetit personæ, quæ alteri non competit, indubitato sequitur illam personam esse distinctam ab illâ, cui nō competit: posito ergo has proprietates esse personarum, distinctas à se invicem esse personas, ita edocemus: Persona gignens, nec genita, spirans non spirata, est alia à genitâ & spiratâ; si n. non esset alia, eadem esset persona, & gignens & genita, & spirans & spirata, quod ἀγερσθον: Atqui persona gignens non est genita, nec spirans spirata: E. persona gignens alia est à genita & spirata. Et per cōsequens, alia Patris, alia Filij, alia Spiritus S. persona.

3. *A Patris & filij dualitate:* Christus Joh. 8.16. Judicium suum verum esse ita colligit, & in lege vestra scriptum est, quia *duorum hominum testimonium verum est.* Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me pater: Quia ergo iudicium suum duorum testimonio, patris videlicet & sui ipsius approbatur, hinc verum esse colligit. Argumentum nostrum tale est: si patris & filij testimonia sunt duorum, pater & filius sunt distinctæ personæ. Consequentia patet: alias enim non duorum, sed unius essent testimonia. At verum est prius, E. etiam posterius.

Hactenus ut spero, thesin nostram sufficienter probavimus. Sequuntur nunc antitheses, quarum prima hæc esto: *Christus non extitit ante Mariam, sed tota ejus substantia & persona tunc primum cœpit, quando de Mariâ in plenitudine temporis natus est, purus tantum homo existens, qui dicitur Deus ob excellentiam divinorum donorum, quibus ob sanctæ conversationis meritum dotatus.*

Qui antithesin hanc defendunt, nostro seculo potissimi sunt Photiniani. Ita enim scribit Socinus in animadvers. assert. r. posu. p. 31. *quis dubitaverit, quando Christus ante Mariam virginem non extiterit, cum ex ipsâ virgine is sit natus, cumq; virgo ejus mater fuerit.* Ostorod. contra Tradel. part. 2. c. 6. p. 117. *Christus non fuit*

i. ar. 1611

fuit ab eterno, nec extitit priusquam ex Mariâ natus fuit. Idem in instit. p. 132. Cum quis purus & solum homo perhibetur, duobus modis id intelligi potest, & ratione essentia, & ratione qualitatum; si ratione essentia intelligitur, tum fatemur essentiam Christi, utpotè veri hominis, non aliam nisi humanam esse; si vero ratione qualitatum, & qualis ille homo sit consideretur, dicimus, Christum non nudum solum & purum hominem esse, sed aliquid amplius. Catech. Racov. p. 64. Christus etsi verus Deus sit, non tamen est ille ex se unus Deus, qui per se & perfectissimâ ratione Deus est, cum is Deus tantum sit pater.

Fundamenta hujus doctrinæ potissima adducit Catechesis Racov. sequentia. 1. Duæ naturæ proprietatibus diversæ, ut sunt divina & humana natura, quarum hæc mortalis, illa immortalis; hæc mutabilis illa immutabilis &c. non possunt coire in unam personam. 2. Unus saltem in scriptura dicitur Deus, qui est pater. 3. Christus est homo, E. non est Deus. 4. Quæ Christus habet, illa ex donatione patris habet, Deo autem dari nihil potest. 5. Christus quando divina opera fecit, illa non sibi sed patri vindicat.

His opponimus. 1. Non ratio sed scriptura in hoc manifestè magno mysterio, in quod etiam angeli gestiunt introspicere, audienda est. 2. Unitas essentia, non tollit trinitatem personarum, cum scriptura utrumque affirmet. 3. Scriptura Christum ita affirmat hominem, ut simul ipsum Deum doceat, quare natura naturæ non est opponenda. 4. Data Christo in tempore non divinitati sed humanitati data intelliguntur. 5. Christus ut Legatus à patre missus sua opera patri ascribens, divinitatem suam non excludit, sed includit, Johan. 5. 21. 26. cap. 10. 38, &c.

Antithesis secunda: Impossibile est patrem ex essentia suâ generare filium. Et hanc sibi Photiniani vendicant, hac unica moti ratione; Aut enim pater communicasset filio essentiam totam, aut patrem; non prius, cum sit una numero & incommunicabilis essentia; nec posterius, cum sit indivisibilis.

Sed

sed boni illi viri, discerent prius cum Mose, obsecanos & fatidos calceos exuere, antequam ad rubum ardentem accederent; quem nemo vidit unquam, nec ratio humana capere potest, illam hi subtilitatum magistri rationis decempeda metiri volunt: Captivent ergo rationem sub obsequium fidei, præcidant ancillæ unguis, antequam in domum intromittatur, & tum cognoscent, essentiam esse communicatam, nec tamen multiplicatam, nec divisam, sed totam communicatam, totam retentam esse à patre, ut in thesi demonstratum est.

Antithesis tertia: *In Christo est quidem alia celestis natura, præter humanam, naturam: sed non ejusdem cum patre essentia, potentia ac gloria.* De hac Carpocratianorum opinione videatur Chemn: de duabus naturis c. 2. p. 5. Gerh. Execg LL. CC. p. 1190. §. 66.

Antithesis quarta: *In Christo est divina natura, sed non distincta persona à patre, illa vero natura quæ dicitur pater, incarnata est.* Et de hac antithesi Praxeianorum Sabellianorum & Noetianorum, qui omnes patripassiani dicti sunt, videatur Chemn: d. l. Gerh. Tom. I. LL. CC. p. 410, §. 77.

THESIS TERTIA.

Christus verus homo in tempore ex Mariâ virgine operatione spiritus S. natus est, vero & nobis consubstantiali constans corpore, verâq; animâ rationali, propriâ voluntate & facultatibus præditâ; quæ natura humana à vovπóτατ & seu propriâ personalitate destituta, in hypostasin verbi indissolubiliter & inconfusè assumpta veras carnis sentit infirmitates,

F

Ezr.

Præcedenti thesi de divina Christi natura actum fuit, nunc etiam de alterâ humanâ dicendum est; Quando vero humanam naturam ita abstractivè nominamus & consideramus non illam ab hypostasi divellimus sed distinguimus & sequimur ductum scripturæ, quæ divinam naturam abstractivè vocabulo vocat θεότης Col. 2. 9. quâ ratione ergo scriptura de unâ natura abstractivè loquitur & agit, eadem etiam de alterâ, quæ in se à personâ abstracta est, & propria personalitate non concreta abstractivè loqui possumus. Et scriptura, quando dicit *verbum caro factum est*, Joh. 1. 14. *semen Abrahæ assumpsit* Heb. 2. 16. non concretum sed abstractum naturæ nominat.

capitulum de Sp. S.
1.
Facta est humana natura ex Maria virgine operatione spiritus sancti. *Spiritus sanctus superveniet in te, dicit angelus ad Mariam, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Luc. 1. 35. Et duo quasi speciales actus in hac humanæ naturæ conceptione spiritui sancto attribuuntur. 1. *Carnis formatio.* Nam id quod naturaliter erat impossibile, præstabat spiritus S. & cum virum non cognoverat Maria, ipse suo superventu vim & efficaciam virgini communicavit, ut plane mirabili & supernaturali modo sine virili semine, conciperet & verum hominem gigneret. Non vero spiritus S. περιπατικῶς, de suâ essentia communicando, hanc cōceptionem operatus est, ut viri quasi vicem in eâ sustinuisset, sicut quidam nugantur; sed δυναμιτικῶς & effectivè, virgini concipiendi vim communicando, & massam humanam formando. Et hic quæstionis quæ moveri solet, *An sc: Christus sit filius spiritus S. dicendus, quoniam ex illius operatione conceptus sit?* decisio fundata est, & rectè dicitur quod non, cum Christus homo non ex essentiâ spiritus S. (cujus autem aliquis filius esse, ex illius etiam essentia gigni debet) sed ex virginis matris substantiâ conceptus sit, ex cujus substantiâ spiritus sanctus effective hanc humanam naturam formavit.

2. *Carnis*

2. *Carnis sanctificatio*: ideoq; quod ex te nascetur sanctum. Portio seu massa illa sanguinea virginalis, ex qua humana Christi natura formanda erat non minus ac cæterorum hominum natura, peccati originalis labe infecta erat, Christus autem debuit esse *segregatus à peccatoribus* Heb. 7. 26. *nec iniquitatem facere, nec dolus in ore ejus inveniri.* Ef. 53. 9. *nec peccatum novisse* 2. Cor. 5. 21. superventu ergo suo spiritus S. hanc virginis massam purificavit, & ab omni peccati inhærentiâ sanctificavit, ut illud quod natum ex Maria sanctum fuerit. Et hæc sunt illa privilegia, quæ Christus homo præ cæteris hominibus singularia habet, nam cum omnes homines à primis nostris parentibus naturali modo ex congressu viri & mulieris nascuntur & peccati labe polluti sint Job: 14. 4. *iple sine virili semine absq; peccati macula natus est.* Legere potest qui plura desiderat, de conceptione carnis Christi Schol. Acad. D. D. Meisn: disp. 1. th. 45. seqq. ubi omnia accuratè evolvuntur.

Licet verò humanam Christi naturam, ejusque integritatem abundanter evinceret, quod dicitur *homo* 1. Timoth. 2. 5. *nobis per omnia similis* Heb. 2. 17. attamen cum non uniusmodi exorta hærefes, quæ hanc naturam ejusq; veritatem impugnât, ita ut una hanc, alia aliam partem sibi destruendam sumat; sigillatim singulas partes essentielles, tum corpus, tum animam cum suis facultatibus demonstrabimus.

Dicimus verò quod Christus ex Mariâ natus habeat *verum corpus*, quod contra eos, qui Phantasticum corpus propugnant, docemus. 1. Ex Matt. 14. 26. seq. Mar. 6. 19. describitur in his locis historia ambulationis Christi super aquas, cum enim videbant discipuli Christum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes, *quia Phantasma est*, sed alloquitur eos Jesus dicens: *habete fiduciam ego sum, nolite timere.* Petrus vero adhuc hæsitans dicit; si tu es, jube me venire ad te, cui morem gerens Christus, ipsum ad se vocat, super mare ambulare jubet, & propter incredulitatem submergi incipientem manu sustentat, ex quo miraculo discipuli Christum verum Deum esse colligebant

impugnât &

Verum homo

Bant ipsumq; adorabant. Notanda ergo in hac narratione veniunt, 1. Christum implicitè negare se esse Phantasma, quod timendum. 2. Petrum dubitantem, corpus verum & grave, super aquas ambulare posse & non immergi, refutari proprio exemplo. 3. Discipulos divinitatem Christi ex hoc miraculo rectè colligere. Quibus observatis tales formamus demonstrationes: Quod corpus hic super aquas ambulat, non est Phantasma, id enim Christus negat. sed Christi corpus fuit illud corpus, quod hic super aquas ambulat, E. Christi corpus non est Phantasma. It: si corpus Christi hic super mare ambulans fuisset Phantasma nec verum corpus, Petrus frustra dubitasset, nec rectè discipuli ex eo Christi divinitatem collegissent. Nam quæ esset dubitatio, quin Phantasma super aquas ambularet, hoc ipsum discipuli putabant, nec de eo dubitabant, & quodnam illud esset miraculum? At falsum est posterius. Petri enim dubium non fuit vanum, sed alio miraculo convincendum. Falsum ergo & prius; Christi corpus esse Phantasma, nec verum corpus.

2. Ex Luc: 24.37. Christus per conclusas fores ingrediens dixit discipulis: pax vobis, ego sum, nolite timere, conturbati verò & conterriti discipuli, putabant se spiritum videre, & dixit iis, quid turbati estis? & quæ cogitationes ascendant in corda vestra? *videte manus & pedes meos, quia ego ipse sum palpare me & videte quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere.* Tale oritur argumentum: Quicumq; habeat manus & pedes, carnem & ossa, quæ possunt palpari, & qualia spiritus non habet, is habet verum & non Phantasticum corpus. Atqui Christus habet manus & pedes, carnem & ossa, quæ palpari possunt, & qualia spiritus non habet. E. Christus habet verum & non Phantasticum corpus. Majoris consequentia evidens est. Nam licet spiritus, ut angeli, corpora interdum assumunt, quibus ad peragenda sua negotia utuntur, Phantasmata tamen sunt, & tale corpus putabant discipuli se videre, quod per occlusas fores ingressum esset, sed negat Christus,

stus, se ita carnem & ossa habere & opinionem discipulorum
reijcit.

3. Ex Es. 50. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas
meas vellentibus, & faciem meam non abscondi à contumelijs & con-
spuentibus in me.* Hujus vaticinii complementum legas Matt.
26. 67. Et hos dolores & plagas Christum verè persensisse po-
stea probabitur. Argumentamur interim: Qui habet dor-
sum, genas, faciem, quibus verè plagas & contumelias perferre
potest, is habet corpus verum & non Phantasticum: Christus
habet talia. E.

Consubstantialitas corporis Christi cum nostra natura
non est individua, qualis intercedit inter personas SS.
Trinitatis; sed specifica, qualis est inter hominem, & homi-
nem Petrum & Paulum, sicut enim Petrus consubstantialis est
Paulo in essentia humana; ita Christus nobis in eadem natura
consubstantialis est, & æquè essentiam hominis habet ac cæte-
ri homines. Non autem hæc consubstantialitas ad quælibet
accidentia hominis, etiam individualia, quæ huic vel illi per-
sonæ accidere possunt, extendenda est, talia enim multa de
Christo non leguntur; sed tantum ad essentialia tum constitu-
tiva tum consecutiva, in quibus omnibus Christus nobis si-
milis absq; tamen peccato ut supra diximus.

Et hanc consubstantialitatem probamus 1. *Ex seminis huma-
ni appellatione*: dicitur enim Christus *semen mulieris* Gen. 3. 15.
semen Abrahæ c. 22. 3. *Filius hominis*. Matt. 20. 28. *ἐκ ἀέρου αὐτῶν*
ἐκ γυναικὸς David. Rom. 1. 3. *ἐκ γυναικὸς ex muliere* Gal. 4. 4.
Argumentum est tale: Ex cujus quis nascitur semine, de illius
etiam est substantia & illi est consubstantialis; sed Christus
homo nascitur ex semine mulieris, Abrahæ, Davidis, hominis,
&c. E. de illorum etiam est substantia & illis consubstantialis.
Ratio majoris consistit in naturalis generationis modo, qui
formaliter ponit essentiaæ similis communicationem.

2. *Ex carnis & sanguinis participatione*: Heb. 2. 14. quia er-
go pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse (Christus)

*Ex semine & muliere
David ex muliere*

similiter participavit iisdem, ut per mortem destrueret eum, qui haberet mortis imperium id est, Diabolum. Pueros vocat Epistola illos, qui Es. 8. 18. *Christo dati* dicuntur, & ut hi, sic Christus carni & sanguini participasse dicitur. Hinc concluditur. Quicumq; communicat carni & sanguini, ut pueri is communicat carni nobis consubstantiali. Atqui Christus communicat carni & sanguini similiter ac pueri; E. Christus communicat carni nobis consubstantiali,

Ex hac consubstantialitate altera quoq; essentialis humanæ naturæ pars rectè colligitur, verum sicut primam partem, corpus videlicet, ita etiam animæ cum suis facultatibus veritatem sigillatim demonstrabimus.

Ex antiquis verò quidam Christo omnino animam derogarunt, quidam *vegetativam & sensitivam* concesserunt, sed *rationalem* negarunt, proinde & animam habere Christum, eamq; *rationalem*, probamus. 1. *Ab expressa animæ nominatione*: Nominat animam suam Matt. 10. 28. Non venit filius hominis ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Joh. 10. 15, pono animam meam pro multis Luc. 23. 46. pater in manus tuas commendo spiritum meum. Ubi ut animam rationalem intelligamus movet nos, 1. quia est *anima hominis*, nam venit filius hominis, dare animam suam, hominis autem anima est rationalis anima. 2. similis loquendi modus in scriptura usitatus; Eccle 12. 7. *Revertatur pulvis in terram suam unde erat. & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Matt. 10. 28. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam verò non possunt occidere. Act. 5. 59. Domine Jesu suscipe spiritum meum; ut ergo his in locis, qui simpliciter spiritus & animæ mentionem faciunt, animam rationalem rectè intelligo, quid impediret quo minus de Christi animâ idem sentiretur? Argumentum: Cui attribuit scriptura animam, & quidem humanam, illi anima rationalis non est deneganda. At Christo scriptura attribuit animam & quidem humanam, E. Christo anima rationalis non est deneganda.

e. Ex

animâ rationali
animâ sensibili

2. *Ex operationibus animalibus, Tales sunt, tristitia. Matt. 26.38. perturbatio Joh. 12.27. fremitus Joh. 11.33. gemitus Marc. 8.12. desiderium Luc. 22.15. Exultatio Luc. 10.21. somnus Matt. 8.24. fames Matt. 14.2. sitis Joh. 19.28. Ita ex his contra eos qui omnino animam Christi negant colligim⁹: Qui facit opera soli animæ competentia, is veram habet animam; Proprius enim effectus, propriam arguit causam, ut proprium attributum proprium requirit subjectum. At verum est prius de Christo; Fremere enim, gemere, exultare, desiderare, fames, sitis, somn⁹, sine animâ fieri non possunt. E.*

3. *Ab humana Christi sapientiâ. Luc. 2.52. crescebat autem puer sapientiâ, gratiâ & ætate apud Deum & homines. Hæc sapientia, quoniam crevit, divina esse non potest, illa enim, ut ipsa divina essentia, infinita est, & crescere non potest: concludimus ita: sapientia crescens non est divina sapientia. Christi sapientia crescit. E. non est divina sapientia. Tria autem tantū sunt entia, cui sapiētia attribuitur; Deus, angeli, & homines; Divina non est, nec angelica est, non enim semen angelorum, sed Abrahæ assumpsit Heb. 2.17. relinquitur ergo quod sit humana, quæ in Christo animam rationalem probat. Ubi enim est humana sapientia, ibi est anima rationalis suis facultatibus prædita: In Christo est humana sapientia. E. in Christo est anima rationalis suis facultatibus prædita.*

4. *Ab humanâ Christi voluntate, distinctâ à divina Joh. 3.30. Non quero meam voluntatem, sed ejus, qui misit me, Matt. 26.39. Non mea voluntas fiat, sed quod tu vis, Joh. 6.38. Descendi de celo, non ut meam voluntatem facerem, sed voluntatem ejus qui misit me. Dei vero ut una est essentia, ita una est voluntas. Argumentum: Quæcunq; voluntas voluntati divinæ contradistinguitur, ea non est divina voluntas; sed Christi hominis voluntas divinæ voluntati contradistinguitur. E. Christi hominis voluntas non est divina voluntas. Immediatè autem in Christo voluntas divina & humana opponuntur, ut si divina non sit, humana sit necesse est, quæ veram animam rationalem supponit.*

Ἄνυπόστατος
 Humanitas.

Ἄνυπόστατον quando dicimus humanam naturam, non putandum est, quasi unquam sine personalitate fuerit aut extiterit, sed quia nunquam ex se & sua natura personalitatem habuit; simul enim ac massa illa, ex qua formata est, individua natura humana facta est, non substitit propria personalitate, sed λόγος illam in suam hypostasim assumpsit, ita ut ἅμα σὰρξ ἅμα θεὸς λόγος σὰρξ extiterit, & alienā, non suā, hypostasi substituerit, unamq; personam cum eā absoluerit. Idq; probamus præsuppositis hisce hypothesebus: 1. ὁ λόγος ab æterno habuit personalitatem, eamq; immutabilem, idque thesi præcedenti evictum. 2. In Christo est una persona, quod demonstrabitur postea. 3. Duæ sunt in Christo naturæ ut probatum. 4. Natura humana absque personalitate subsistere non potest, quod patet. Talis ergo sit syllogismus. Quæcunq; natura absq; personalitate subsistere non valens, cum λόγῳ propriā personalitate prædito unam personam constituit, ea propriam personalitatem non habet, sed in λόγῳ hypostasi subsistit. Atqui humana Christi natura absq; personalitate subsistere non valens, cum λόγῳ propriā & immutabili personalitate prædito unam personam constituit; E. humana Christi natura propriam personalitatem non habet, sed in λόγῳ hypostasi subsistit.

in scripturis.

Haecenus quæ de hac natura diximus, non extra unionem illi competunt, sed ut in ipsa unione consideratur, quare de incolumitate hujus naturæ post unionis actum, omnis dubitatio tolli debebat. Et thesi 6. in quâ de formâ unionis, quæ facta est salvis utriusq; naturæ proprietatibus dicendum erit, de arcto & indissolubili unionis vinculo, salvis tamen naturis tractari posset, verum cum hic naturæ humanæ essentiam perpendamus nō inconcinne hic quoq; ejus *illæsa in ipso unionis actu, & in æternum non ledenda integritas* & incolumitas probatur. 1. *Ex corporis ostensione*: Ostendebat Christus corpus suum discipulis post resurrectionem Luc. 24. 38. *videte manus & pedes meos*, præbuit illud Thomæ palpandum Joh. 20, 27. *Infer digi-*
gitum

gitam tuam huc, & vide manus meas, & adfer manum tuam, & mitte in latus meum. Unde argumentamur: si Christus discipulis post resurrectionem corpus suam videndum & palpandum præbuit, natura humana non absorpta, nec deposita est; At verum corpus, in quo vulnera habuit, discipulis videndum & palpandum præbuit, E. naturam humanam non deposuit post incarnationem, nec in divinitatem absorpsit, sed illam retinuit. Major licet de corpore saltem loquatur, firma tamen est consequentia, cum enim adversarii totam naturam, & corpus & animam depositam dicant, alterutrâ parte ostensa salvâ, utraq; salva intelligitur.

2. *â visibili reditu ad iudicium:* Indicant hunc reditum viri Christo in cælum ascendenti astantes, & dicunt. *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum, Hic Jesus qui assumptus est â vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum assumptum in cælum.* Act. 1. 11, Quemadmodum ergo discipuli verum Christi corpus, ex cuius proprietate ascensio facta visibilis, viderunt, ita videbimus eum redeuntem ad iudicium. Et ita Stephanus cum videret cælum apertum, & Jesum stantem â dextris Dei, *vidit filium hominis, in forma sc: corporis humani* Act. 7. 55. *Et filius hominis.* (qui coram principe sacerdotum stabat, & postea crucifigebatur) *videbitur sedens â dextris virtutis Dei, & veniens in nubibus.* Matt. 26. 64. cum virtute multâ & maiestate magnâ c. 24. 30. in gloriâ patris cum angelis suis c. 16. 27. & videbunt, qui eum pupugerunt. Argumentum: In quâ naturâ Christus in cælum visibiliter ascendit, in qua passus & vulneratus est, quâ visibiliter ad iudicium extremum redibit, & quam pungentibus ostendet, illam non absorpsit nec deposuit: sed in humanâ naturâ Christus in cælum visibiliter ascendit, inq; eâ passus & vulneratus est, in eâ visibiliter ad extremum iudicium redibit, & eam pungentibus ostendet. E. eam nec absorpsit nec deposuit. Minor partim patet, partim probabitur postea.

De infirmitatibus deniq; repetendum, quod omni peccato careant, hoc enim in Christo non reperitur, & notandum ul-

G

terius,

infirmities eius

terius, 1. Infirmities carnis non suscepisse Christum ex conditionis necessitate, sed miserationis affectu, ipse enim in formâ Dei existans, *formam servi* accepit. 2. Non semper retinuisse illas, sed tempore saltem exinanitionis, tempore exaltationis easdem deposuisse. 3. Nec indifferenter omnes suscepisse, sed *universales* tantum, quæ *toti speciei* competunt, ut sunt *dolor, mors* &c. *personales* verò ut sunt *claudicatio, lepra* &c. de ipso non affirmantur. Et hoc modo, quod in thesi dicitur, *veras carnis infirmitates* suscepisse probatur. 1. *Ex dolorum nostrorum in se susceptione*: Es. 53. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, ubi urgemus* 1. Vocabulum *verè, verè tulit.* E. non fictitiè, 2. *nostros*: quales autem sint dolores nostri, ipsi experimur: fictitios eos non esse sed veros, gemitus nostri docent. Et damnati experientur quondam, quando cum divite lurcone exclamabunt, *crucior in hac flammâ*. Luc: 16. 24. Tales autem dolores Christus in se derivavit, & pœnas peccati debitas in se recepit, *factus pro nobis peccatum*. 2. Cor. 5. 21. sequitur ergo. Qui verè dolores & cruciatus, quales aliquando damnati sentient, sensit, is non est *ἀπαθής*, sed verè infirmitates habet; Atqui Christus tales cruciatus verè sensit. E. Christus non fuit *ἀπαθής* sed verè in firmitatibus subiectus.

2. *Ex graphicâ passionis Christi descriptione*: Habetur hæc Matt. 26 Marc. 14. Luc. 22. Joh. 18. Non fictè à ministris judæorum ad sanguinis usq; effusionem cœditur, colaphis percutitur, sputo conspurcatur, irrisionibus & sarcasmis illuditur. Num fictitius dolor putandus qui ipsi sanguineas guttas expressit? Num imaginarius animi angor fuit, qui ipsum in hæc verba prorumpere coegit. *Deus meus Deus meus quare dereliquisti me?* num *ἀπαθής* foret, cujus dolori nullus dolor æquiparandus? certè non nisi *ἀπαθής* affirmabit. Argumentum: Quicumq; ad sanguinem usq; percutitur, & acerbissimos animi angores & dolores, quibuscum nullus dolor comparandus sustinet, is non est *ἀπαθής*, sed verè carnis affectibus præditus. Atqui Christus ad sanguinem usq; percussus est, & acerbissimos
animi

animi angores & dolores, quibus cum nullus dolor comparari potest, sustinuit. E. non fuit ἀπαθής, sed verè carnis affectibus præditus.

Considerent nunc Adversarii, qui *Eutychnianismum* ingeminare satis nequeunt, & ad raucim usq; clamitant *Eutychnianos esse Lutheranos* naturas confundi, & proprietates earum destrui, considerent dico; quâ fronte, quo jure hoc dicant.

Naturas in ipsa etiam unione salvas credimus, & ex scriptura demonstramus, veram quoq; & realem idiomatum communicationem asserimus & postea ex scripturâ probabimus. Quod si illi rationis acumine modum comprehendere non valeant, quomodo salvæ manserint naturæ, & tamen idiomata communicata, quomodo natura finitæ potentiæ sit etiam infinitæ potentiæ, quomodo circumscripta sit ubique; scripturæ credant, & nos antiquæ hæreseos reos arguere desinant. Credimus, confitemur & docemus contra Eutychetem salvas naturas; contra Nestorium, unam personam; utrumque verum ex scripturâ novimus; nec personæ & idiomatum communicatio dualitatem naturarum, nec naturarum dualitas unitatem personæ, & communicationem naturarum solvit. Ipsi interim videant, ne actiones disgregantes, cum Nestorio personam solvant, cum actiones non naturarum sed suppositarum esse dicantur.

Hactenus thesis explicatio, sequuntur *antitheses* quarum
1. *Christus homo non solum ex Mariâ, sed etiam ex Deo natus & conceptus est, qui viri vicem in hac conceptione sustinuit,*

Hoc docent *Photiniani*, scribit enim Socinus lib. ad Pol. e. 36. quod spiritus S. & virtus altissimi, illam primam existentiam hominis Jesu Nazareni, sit operata, & sic loco patris generantis Deus fuerit. Satis est, inquit, Smalcus Respons. ad part. 2. refut. Smigl. ad ostendendum per Deum in generatione Christi viri vices supplevisse, si ostendatur Deum id ad generationem adjecisse, quod in generatione hominis, ex parte viri, ad hominem producendum adici solet. Idem in-

part. 2. refut. 1.



Exam. 157. Err. Err. 18. p. 8. Tam ex sanguine Mariæ, quam ex materiâ à Deo ad corpus Christi gignendum, allata Christum genitum esse dicimus. Et hoc verissimum esse, testantur sacræ literæ, quando obumbrationis spiritus S. super Mariam mentionem faciunt, & quando Christum filium Dei ob istam obumbrationem nominant, Nec enim filius Dei nominari ab ipsa conceptione posset, nisi aliquid ex parte Dei ad eum constituendum accessisset, sed tantum Mariæ filius esset ob cōceptionem & nativitatem, quod longè esset absurdissimum, quamvis id asserere cogantur omnes Trinitatij.

Sed Theologis absq. scripturâ loquentibus quis credat? quæ de obumbratione falsæ interpretationis ἐλέγχω nugatur Schmaltius, nullo negotio observatis ejs, quæ in explicatione theses diximus, refelli possunt; 2. *Christus non verum & solidum, sed phantasticum & putativum corpus habuit.*

Est hæc *Manicheorum & Marcionitarum* hæresis, quæ statim post Apostolorum tempora mota memoratur à Chemnit: lib. de duabus naturis c. 3. p. m. h. 10. videatur Gerh. Exeg. LL. CC. de personâ Christi. §. 84. fundamenta eorū sunt. 1. quia filius Dei in V. T. tali forma hominis patribus sæpius apparuit, Gen. 32. 24. Dan. 3. 4. 2. Angeli in tali forma apparent & actiones suas in ea perficere possunt. 3. Christi corpus dicitur *similitudo & ὁμοίωμα* corporis, non verum corpus. Rom. 8. 3. Ph. 2. 4. sed regerimus. 1. De veritate corporis Christi non est judicandum ante incarnationem: Non enim in V. T. factus erat homo, sed in plenitudine demum temporis. Gal. 4. 4. 2. Diversa est ratio angelorum corporeâ formâ apparentium, & Christi incarnati; illi in carne apparent, hic verò carnem assumpsit; ibi est assistentia, hic personalis unio; ibi ad perficiendas actiones sufficit species, hic vero ad perficiendum opus redemptionis requiritur verum corpus, quod enim non assumpsit, illud neq; redemit. 3. Vocabulum ὁμοίωμα ⊕ non negat carnis veritatem, sed accidentis peccati fæditatem; fuit enim caro, sed non caro peccati, ut & vocabulum χήμα ⊕ designat externam morum conversationem, non substantiæ carnis negationem.

3. *Corpus*

3. *Corpus Christi non est ὁμοῶς οἰον nostris corporibus, sed ἐστὶν ἕτερον & diverse essentia, idq; vel ex ipsâ divinâ essentiâ, vel ex materiâ caelesti, si dereâ aut elementari, non in utero matris formatum, sed est caelo in terras delatum.*

Hanc thesin partim *Valentiniani*, partim *Anabaptistae* sibi vendicant, quibus annumeramus *Photinianos*, corpus Christi ex materiâ à Deo allata genitum affirmantes. Rationes illorum sunt. 1. quia dicitur *homo de caelo* 1. Cor. 15. 47. 2. humana natura indigna est ut à Deo assumatur, cum homo indignus sit colloqui cum Deo, Gen. 18. 27. & inferior est angelorum natura, quâ tamen assumere non fuit dignatus. 3. omnis homo peccator. Job. 14. 4. quod de Christo non potest dici. Es. 53. 9. 2. Cor. 5. 27. His opponimus. 1. Affirmatio divinæ naturæ non est opponenda veritati humanæ naturæ. 2. De assumptione veri corporis non judicandum ex humanæ naturæ dignitate, sed divinæ misericordiae quantitate. 3. Ex peccati negatione non sequitur naturæ destructio, *peccatum enim non novit*, verus tamen homo fuit, non ut alii homines in peccatis, sed sanctus ex operatione spiritus S. sine virili semine conceptus.

4. *Christus habuit quidem verum corpus, nullam tamen animam, vel si aliqua ei fuit, non fuit ea rationalis, illius enim loco fuit divina natura.* Primum partem hujus theses sibi sumunt *Ariani*, alteram *Apollinaristae*, quibus *Monetheletae* annumerari possunt. Proferunt verò Joh. 1. 14. ubi *λόγος* carnem, non animam assumisse dicitur, sed decepit eos veri vocis hujus intellectus ignoratio, non enim notat alteram tantum hominis partem, sed *synechdochicè* integram naturam, quemadmodum usurpatur. Gen 6. 12. Es. 40. 6. &c.

5. *Humana Christi natura ex se personam constituit, cui Deus affuit per assistentiam seu societatem, sicut affuit Heliae & aliis Prophetis & ita due illae naturae hypostaticè unitae non sunt, sed quaelibet natura propriam sunt hypostasin.* Quomodo hanc thesin *Nestorius* propugnarit, consulatur *Schroderus de Nestorianismo & Eutychianismo. p. 6. seq.*

6. *Christus humanam naturam per unionem hypostaticam in divinitatem absorpsit, vel eam ad complementum usq; operis redemptionis gestavit, postmodum corpus, quod immediatè ex quatuor elementis vel alia caelesti materiâ conflatum in sua resolutum principia. De hac thesi, quæ partim Eutychianorum, partim Origenis, partim Apellianorum, aliorumq; consulendi sunt. Chemnit. de duabus naturis c.3. p.17. Schroderus. l. d. p.26.3. Gerh. Exeg. LL. CC. pag. 1210. §.89.*

7. *Christus carnis infirmitates non suscepit, sed sicut telum transit per aquam vel ignem, & facit quidem distractionem, sed sine sensu vulneris; sic in Christo nullus verus sensus doloris fuit etiam in acerbissimis cruciatibus.*

Thesis tribuitur Hilario; quem vide lib. 10. de Trin. & Erasmi præfationem. Et fuit Manicheorū delirium, qui duo urgent argumenta. 1. Christi à peccatis puritatem: *fuit segregatus à peccatoribus.* E. etiam ab infirmitatibus, quæ sunt peccati pænæ. 2. Unionem personalem: minus enim honorificum esset, si Dei caro passiones sentiret. sed observetur. 1. Corpus peccato obnoxium sequuntur infirmitates conditionis necessitate, Christus autem eas in se suscepit voluntatis libertate. 2. personæ dignitas non tollitur iis requisitis, quæ ad officium sacerdotale & mediatorium fuerunt necessaria, de utroq; enim sunt perspicui scripturæ textus.

THESIS QUARTA.

Unionem naturarum, quæ in personâ filij Dei facta est, tota ss. Trinitas operata est; Pater filium mittendo; filius carnem assumendo; spiritus S. massam humanam formando & sanctificando.

Εξήγησις.

In explanatione hujus thesios observamus 1. *Distinctionem inter assumptionem, unionem, & unitionem; Assumptio proxime*

mè

mē personam respicit, unio naturas, unio unionis & assumptionis actum. Quamvis enim inter personam & essentiam τὸ λόγος reale discrimen non admittamus, formale tamen secundum nostrum concipiendi modum omninō negare nō possumus. Hinc illorum locutionum diversitas, ut rectē dicatur; *λόγον seu personam τὸ λόγος assumpsisse carnem, sed personam carni unitam esse*, minus commodē asseritur, unio enim non est personæ & naturæ, sed naturarum in unā personā; Et vicissim rectē dicitur: *persona assumpsit naturā*; minus rectē, *natura assumpsit naturam*, nam assumere immediatē personæ competit, mediatē naturæ unitæ. It: *Divina natura rectē unita dicitur humana nature, & reciprocē, humana divina, non vero caro, quæ assumpta est à λόγῳ dicitur assumere λόγον, nec λόγον qui assumpsit carnem, dicitur à carne assumptus*, unio enim est inter naturas, assumptio vero inter personam λόγος & carnem. Ex hoc discrimine dependet ratio, quare in tertio genere communicationis nō sequatur reciprocatio, cum enim assumpti, non assumptis sit provecctio, λόγος verò sit assumens, hinc fit, ut λόγος assumptæ carni sua idioma communicet, non verò caro assumpta assumpti λόγῳ.

2. *Distinctionem inter unionis effectivam inchoationem, & formalem terminationem: Effectivè unionis principium quando cōsideratur, toti SS. Trinitati rectē assignatur, nā omnes personæ divinitatis ut causæ efficientes hanc unionem perfecerunt; quando vero formalis terminus unionis respicitur, ille soli filio cōpetit, nam licet reliquæ personæ univerint λόγον & carnem efficienter, non tamen unitæ sunt carni sicut λόγος formaliter, ut ipsam unionem ingrederentur. Hac de causâ Theologi unionem, seu potius unionē dicunt opus Trinitatis mixtum, quod non sit purè ad extra, nec purè ad intra, sed mixtum ex utroque, partim ad extra, partim ad intra; Hoc ratione formalis terminationis; Illud ratione effectivi principij.*

Pii veteres illustrarunt hanc differentiam *similibus*, 1. *Triū puellarum* uni ex illis tunicam induentium, ad quod omnes tres effectivè operando concurrunt, verum formaliter tunica uni saltem induitur. 2. *Citharæ sonantis*. In citharâ tria sunt, ars, manus,

nus,

aus, & chorda, & tamen *unus sonus* auditur, ars dicitur, manus tangit, resonat chorda. Tria pariter operantur, sed sola chorda personat quod audiat, nec ars, nec manus sonum reddunt, sed ea cum chorda pariter operantur, sic nec pater, nec spiritus S. susceperunt carnem, & tamen cum filio pariter operantur, sonum sola chorda excutit, carnem solus Christus accepit, operatio in tribus constat, sed quomodo ad solam chordam pertinet soni redditio, sic pertinet ad Christum solum carnis humanæ susceptio. Gerh. ex August. Exeg. LL. CC. p. 1220.

Duo autem in thesi comprehendimus *primum* est quæstio an sit unio? & dicimus in thesi factam eam esse in personam filij Dei. Alterum est de causâ efficiente, quam totam SS. Trinitatem dicimus. *Prius* probamus.

1. *Ex personæ Christi unitate*: scriptura de persona Christi loquens, de uno non de pluribus loquitur, ut Rom. 5. 115. *gratia unius hominis Jesu Christi, in plures abundavit*, 1. Cor. 8. 6. *Nobis unus Dominus, per quem omnia & nos per ipsum*, 1. Tim. 2. 5. *Unus mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus*, Matt. 23. 11. *Magister vester unus est Christus*. Duas autem in Christo naturas supra probavimus, quæ cum unum quoddam σύνθετον constituent, unio intercedat necesse est, Argumentum nec tamen hujusmodi: Quæ diversæ naturæ unū quoddam σύνθετον cōstituunt, inter illas datur unio. Atqui diversæ in Christo naturæ, divina & humana, unū quoddam σύνθετον cōstituunt, E. inter illas naturas datur unio.

2. *Ex incarnatione*: Describitur illa Joh. 1. 14. *verbū caro factum est*, sic 1. Cor. 15. 27. *secundus homo Dominus ipse de celo dicitur*, si vero utraq; natura personam constitueret, & propriâ personalitate subsisteret, tum nec homo ille esset Dominus de celo, nec verbum esset caro factū; nā de distinctâ à λόγῳ personā non possum dicere quod sit Dominus de celo; nec de λόγῳ, quod caro factus sit, si distincta à carne sit persona, nec nudus homo est Dominus de celo, nec nudus λόγῳ est caro factus. Hinc argumentamur: si λόγῳ est caro factus, & homo Dominus de celo seu Deus, utiq; etiam λόγῳ unitus est carni & caro Deo. At verum est prius. E. etiam posterius. Et per consequens inter hæc duo unita datur unio. *Alte-*

Unio

An si!

Alium prolixiore probatione haud indiget, cum eni-
 unio efficienter considerata, sit opus Trinitatis ad extra, ut pau-
 lō ante monuimus, commune quoq; erit omnibus tribus per-
 sonis; quemadmodum autem in alijs operib. ad extra usu ve-
 nit, ut uni personæ præ altera opus quoddam κατ' ἐξοχήν assi-
 gnetur; sic pater κατ' ἐξοχήν dicitur creator, filius redemptor,
 Spiritus S. Sanctificator; ita etiam in hoc opere cuiuslibet perso-
 næ suus quasi actus attribuitur. Et quidem pater dicitur mitte-
 re filium, Gal. 4. 4. Rom. 8. 3. Joh. 10. 36. Corpus aptare filio, Heb.
 10. 5. suscitare germen Davidi, Jer. 23. 5. Filius (ratione cuius est
 etiam opus ad Intra) dicitur caro factus; Joh. 1. 14. exiisse à patre
 è cælo, Joh. 6. 38. c. 8. 42. c. 16. 28. venisse in carnem, 1. Joh. 4. 2. mani-
 festatus in carne, 1. Tim. 3, 16. participare carni & sanguini, Heb. 2.
 14. Spiritus S. dicitur venire super virginem, Luc. 1. 35. & ideo quod
 nascitur ex Mariâ sanctum dicitur, sanctificavit enim massam
 virginis à peccatis, ut Christus segregatus à peccatoribus esset.
 Heb. 7. 26.

THESIS QUINTA.

*Materia unionis sunt duæ illæ naturæ, divina
 & humana, certo ὑπάρξεως τεύπεϊ insigni-
 ta; Divina caractere filii ad certam
 personam restricta; Humana ex massâ
 virginis formata.*

Ἐξήγησις.

Quando duas naturas materiam unionis dicimus, non de
 propriè dictâ materiâ illud intelligendum esse, æquus & at-
 tentus lector facilè dijudicabit, cum divina natura, quæ puris-
 simus actus est, materia dici non possit, sed ἀναλογικῶς ita ma-
 teriam vocamus, in relatione ad formam, cujus respectu duæ na-
 turæ materiale constituunt.

H

Natu-



Naturæ autem in thesi dicuntur certo ὑπέρθεως modo insignitæ, non enim divina natura absolutè considerata, prout est communis tribus SS. Trinitatis personis, incarnata est, sed prout in hypostasi Filii tota existit. Eleganter Thomas part. 3. const. 3. art. 4. Tota natura divina incarnata dicitur, non quia sit incarnata in omnibus personis, sed quia nihil deest, de perfectione naturæ, personæ incarnatæ: sic itidem humana natura non quævis in personam filij Dei assumpta & λόγῳ unita est, sed illa ipsi individua, quæ ex substantia virginis operatione Spiritus S. efformata & sanctificata est.

Naturas v. ipsas unitas esse, potissimum controvertitur ob divinam naturam, quam humanæ naturæ unitam minus commodè dici putant, sed personæ, non naturæ λόγῳ, humanam naturam unitam esse, & ita non naturam sed personam λόγῳ esse incarnatam. Huic vero sententiæ thesis nostra contradicit, & ipsam naturam divinam humanæ naturæ unitam, seu incarnatam esse asserit. Et hoc probamus.

1. Ex Dei incarnatione: Joh. 1. 14. Verbum caro factum est, 1. Tim. 3. 16. Deus manifestatus in carne. Verbum seu λόγον non nudæ personæ, sed personæ cum essentiâ nomen esse v. i. patet: dicitur enim hoc verbum ipse Deus, probat etiam Evangelista deitatem, ab æternitate, ab operibus creationis, vivificationis, & illuminationis, quæ opera non persona absq; essentiâ perficit, sed cum essentiâ; hoc verbum postea seu hic Deus dicitur caro factus, & is in carne manifestatus est. Ex quo tale fluit argumentum: Quodcunq; scriptura incarnatum, & carni unitum affirmat, id etiam incarnatum & carni unitum sanctè credendum est. At ipsam essentiâ divinam affirmat incarnatam & carni unitam, Ergo ipsam divinam essentiâ incarnatam, & carni unitam esse credendum est.

2. A Deitatis in corpore in habitatione: Coloss. 2. 9. In ipso inhabitat tota plenitudo Deitatis corporaliter. Per verba in ipso intelligitur humana natura, ut sequenti thesi probabitur. per τὴν θεότητα ejusq; plenitudinem, tota essentia divina, (non dona crea-

creata) ut s. in hypostasi filii subsistit. Piscator super hæc verba scribit ob setv. 12. *Magnum est discrimen inter habitationem Dei in Christo & in Sanctis: Nam in his inhabitat Deus, quatenus eis per Spiritum S. certa dona confert. At in Christo nempe in humanâ ipsius naturâ, tota plenitudo deitatis inhabitat corporaliter, id est, substantialiter & personaliter.* (de ultimo verbo postea fiet iudicium) quia filius Dei hanc naturam in unitatem personæ assumpsit, ita ut hæc una eadem persona, quæ nominatur Christus & Deus & homo sit. Statuit ergo piscator 1. *subiectum* inhabitationis nobiscum humanam naturam. 2. *inhabitans* non dona divina, sed ipsam plenitudinem divinitatis, per & propter quam hæc persona dicitur Deus, sicut per humanam naturam dicitur homo. Nec potest ostendi locus ubi vox θεότης & de donis creatis usurpetur: Confunderetur insuper, ut rectè colligit Piscator, inhabitatio personalis in Christo, cum gratiosâ in sanctis. Nos ita colligimus: Quodcunq; habitat in naturâ humanâ, illud incarnatum & carni unitum est; Atqui ipsa natura divina filij Dei habitat in carne. Ergo ipsa natura filij Dei incarnata & carni unita est.

3. *A personæ & naturæ divinæ discrimine non reali: Personam λόγος à divina ipsius natura non differre realiter, ipsi admittunt adversarij, & ita non est persona, ubi non sit ipsa natura ei arctissimè conjuncta, & contra quæ arctissima personæ & naturæ divinæ conjunctio, tale argumentum producit: Quæcunq; persona nō differt realiter à sua natura, illâ incarnatâ, etiam ipsa natura incarnatur. At persona τὸ λόγος non differt realiter, sed vix rationis discrimine à suâ essentia divinâ. E. personâ λόγος incarnatâ, ipsa λόγος divina essentia incarnatur.*

4. *Ex prædicationibus personalibus.* Tales sunt: *Homo est Deus, & Deus est homo*, quis autem hominem Deum diceret, qui non unitus esset naturæ divinæ, per & propter quâ persona dicitur Deus? & quomodo Deus, qui non est persona absque essentiâ, potest homo dici, si essentia seu natura λόγος carni nō est unita? In hac enim propositione *Deus est homo*. Subiectum non est persona absq; natura, ita enim vox Dei nunquã usurpatur,

sed cum naturā; Illa autem natura personata dicitur homo, non propter personam hominis, illam n. non habet propriam; sed propter naturam illi unitam. Collectio ergo fit talis. Qui Deus homo est, illius natura incarnata est. Sed Deus λόγος est homo. E. Dei λόγος natura incarnata est.

5. *Ex usitato loquendi modo:* Antiqui patres, ut usitatissimus loquendi modus est, incarnationem vocant *unionem duarum naturarum, non vero personae & naturae*: Ipsas naturas exprimunt: quando dicunt humanitatem esse assumptam in divinitatem, vel in Deū: Aug. Confes. dicit duas naturas, divinam & humanam, in personae unitate inseparabiliter conjunctas, artic. 3. de Christo. Nisi ergo adversarii toti antiquitati, & communi loquendi modo sese opponere, & contradicere velint, sequens concedat argumentum: Natura unita carni est incarnata & vice versa, unita divinae naturae est deificata. At natura divina Christi est unita carni, & contra. Ergo natura divina Christi est incarnata, & humana deificata, id quod probandum.

Antithesis: Persona filii Dei recte incarnata dicitur: naturam vero divinam incarnatam dicere, minus orthodoxum est.

Key.
Communem hanc antithesin habent Pontificii (licet non absq; contradictione) cum Calvinianis, Bellarm. l. 3. de Christo c. 8. §. 3. scribit *unio facta est per communicationem ejus, quod est proprium filii, non ejus, qui est commune aliis personis*. Becan. capit. 3. de Christo titulum fecit, *De assumptione humanitatis ad personam verbi*, c. 4. in initio ponit duo extrema seu materiā unionis, nō divinam & humanam naturas, sed humanam naturam & personam verbi, ita scribens: *Nunc agendum est de duobus extremis, quae inter se uniuntur, nempe de persona verbi assumente, & de humanitate Christi assumptā*. Titulus c. 6. hic est. *De Christo, qui est adequatus terminus unionis hypostaticae, resultans ex personā assumente, & naturā assumptā*. Sohnius Tom. 1. operum, th. 5. de incarnatione p. 285. *Ac proinde persona incarnata est, non natura divina si proprie loqui velimus*, th. 46. p. 289. *Ergo solus filius Dei, ut persona assumpti humanam naturam, nam persona filii proprie assumit naturam,*

ram, non natura naturam. Danæus Exam. lib. Chemn. de duabus naturis pag. 81. *Certè quicquid & cap. secundo, & supra, & hic censeat Kemnitius, si propriè loqui voluit, (id quod in definitione maxime conari nos oportet) dicendum scribendumq; potius erat, personam filii, non autem naturam divinam filii sibi assumpsisse nostram naturam, quemadmodum id verè demonstrant Scholastici, in eo rectè & orthodoxè sentientes.*

Monemus autem in hac antithesi sequentiar. Nō omnes Calviniani ita sentiunt, præsertim recēiores, qui nobis hac in parte parum adversantur. 2. Potest duplex esse horum verborum sensus: respiciunt enim adversarii vel unionis terminum seu formam; vel unibilia seu materiam. Si prius respiciant, & ita sentiant, unionis terminum non esse naturā, sed personam, illis non repugnamus, non enim duæ naturæ unitæ sunt, ut una ex illis natura fieret, vel tertium aliquod, sicut ex anima & corpore fit una natura humana; sed ad unam hypostasin, ut una persona ex duabus naturis fieret; si posterius attendāt, falsum est quod dicunt, ut supra probavimus. Hanc verò illorum esse mentem patet, tum ex Becano, qui personam assumentem, & naturam humanam vocat duo extrema unionis, quæ nos materiam dicimus; tum ex scopo, omnia enim eò directa sunt, ut postea communicationem idiomatum, quæ ex communicatione & unione essentia divinae originem habet, eo facilius destruere possint.

Argumenta quæ proferunt, id saltem evincunt, vel; naturam ut est communis omnibus tribus personis, non esse incarnatam, id quod concedimus, nō tamen propterea id quod cujusq; personæ proprium est, seu ipsa personalitas ab essentia realiter segreganda est, & sine essentia incarnatā dicenda, alias quaternitas in divinitate concedenda esset, tres sc. persona & una essentia separata à personis: & pari modo patris persona sine essentia genuisse filium, dicēda foret, & patris & filii personæ sine essentia spirare Spiritum S. Essentia n. est una & eadem, sicut autem essentia genita, hoc sc. caractere subsistēs,

Constitut.

Sp. ad. ob.

non gignens, nec spirata, & tamen eadem essentia; ita essentia genita est incarnata, & non gignens vel spirata: vel; unionis terminum non esse naturam sed personam, quod confitemur.

THESIS SEXTA.

Duae in Christo naturae in unâ τὸ λόγῳ personam mutuam communicatione, ἔσ' ἀειχωρήσας copulatae ἔσ' unitae sunt, ita ut altera non sit extra alteram, sed ubiq; conjunctissima, divina in humanam, ἔσ' humana in divinam.

Ἐξήγησις.

Superius thesi 3. demonstravimus, naturas in ipsa unione mansisse illaefas & salvas, ut neq; per unionem facta sit una divina, nec una humana natura, sed ex utraq; una persona. Eadem thesi humanam naturam propriam personalitatem ex se non habere evicimus. Thesi subsequenti quartam unionem inter has naturas esse factam probavimus. De Eutychiana ergo naturarum confusione, & generali earum unione multa hic dicere supervacaneum putantes, tria hac thesi includimus, quae ad unionis formale spectare videntur. 1. Unionis terminum seu formale esse personam; ita ut ex duabus illis naturis, non duae sed una persona facta sit. 2. Duarum naturarum unionem non esse factam absq; mutuam communicatione, sed arctissimam ἀειχωρήσας ἔσ' pervasione: 3. Unam naturam non esse extra alteram, sed semper arctissime unitas, ut ubi sit una, ibi etiam sit altera.

De primo quando agunt Doctores, plerumque per ἀρσιν ad θέσιν progrediuntur, removendo omnes unionum species, usq; dum illa saltem relinquatur; quae hujus loci propria est, & hypostatice dicitur. Verum cum nostro instituto nimis prolixum

lixum

lixum videatur, omnes unionum species recensere, quæ legi possunt apud Chemn. de duabus naturis c. 7. Gerh. Exeg. LL. CC. p. 1238. §. 116. *dicta saltem, quæ de unionis modo & formali loquuntur, considerabimus, ex quibus unam atq; alteram propositionem formabimus, quibus tanquam fundamentis argumenta superstruemus.*

Dicta illa sunt. Joh. 1. 14. *Verbum caro è γένετο factum est.* Colof. 2. 9. *In Christo κατοικεῖ inhabitat tota plenitudo deitatis σωματικῶς corporaliter,* 1. Tim. 3. 16. *Deus ἐφανερώθη apparuit, manifestatus est in carne.* Heb. 2. 14. *quia pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter μετέχε participavit iisdem: v. 16, non angelos, sed semen Abrahæ assumpsit.* In his dictis notamus verba sequentia. 1. γίνεσθ. 2. κατοικεῖν σωματικῶς. 3. φανερόσθ. 4. κοινωνεῖν ἢ μετέχειν. 5. Ἰπλάμβάνειν.

Verbum γίνεσθ in scripturis etiam de physicâ mutatione dicitur: *baculus Aaronis est serpens.* Exod. 4. 3. *aqua fit vinum.* Joh. 2. 9. sed in tali significatione hic nō usurpatur: obstat enim 1. utriusq; naturæ integritas. 2. reliqua illa verba, *habitare in carne, assumere carnem,* ut mox dicitur. Explicari commodè significatio hujus verbi potest ex Gen. 2. 7. ubi homo ille ex limo terræ formatus, postquam Deus in faciem ipsius spiraculum vitæ inspirasset, dicitur *factus in animam viventem.* Hunc locum respiciens Apostolus dicit 1. Cor. 15. 45. *Factus est primus homo Adam in animam viventem: Novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Declarat ergo Apostolus hoc verbum γίνεσθ qui, quemadmodum primus homo seu corpus hominis, inspiratione animæ factum est vivum & animatum, & unitum cum anima corpus unum ὁφιστάμενον constituit, salvâ utriusq; tum animæ tum corporis essentiâ; ita etiam secundus homo, unitus Deitati Christi (ea enim per vocabulū *spiritus* intelligitur, ut 1. Pet. 3. 18.) *factus est in spiritum vivificantem, id est Deus, & unum cum eâ ὁφιστάμενον, salvâ tamen utriusque naturæ essentiâ.* Κατοικεῖ quidem Deus in sanctis, Eph. 3. 17. 1. Cor. 3. 16. non autem σωματικῶς, sed per fidem. ἐφανερώθη, Deus in V. T. Prophetis & Patriar-

triarchis, sed non exinde factus est caro, neq; participavit carni & sanguini ut pueri. Κοινωνεῖν dicuntur sancti Spiritus S., 2. Cor. 13. 13. Phil. 2. 1. 2. Pet. 1. 4. it: ἀστέχειν dicuntur Christi, Heb. 3. 14. & Spiritus S. c. 6. 4. sanctorum autem naturæ non fit participes Christus, ut pueri communicant carni & sanguini, ad quorum substantiam pertinet caro & sanguis. Describit Apostolus unionem per Ἰνίληψιν *super assumptionem*, non quasi saltem per assistentiam & appositionem facta sit, sed ut naturarum integritatem innuat.

Collatis ergo his locis & dextrè intellectis, tales ex illis formo propositiones: 1. *Deus est caro factus absq; naturarum cōfusione*: Hoc evincit: 1. Explicatio Apostolica vocabuli γίνεσθαι. 2. sensus reliquorum verborum, si enim Deus apparuit, divina non abscondita fuit natura, si in carne; caro non fuit absorpta. Communicat & participat carni & sanguini. Ergo erit communicans, quod est divina, & communicatum quod est humana natura. Inhabitat; aliud autem est inhabitans, aliud inhabitatum, (ut ita loquar) Assumit. E. non confundit.

2. *Unio naturarum in Christo est arctior, quam gratiosa inhabitatio in sanctis*. Hoc evincit, 1. verbum γίνεσθαι. 2. diversa hujus & gratiosæ unionis prædicata, quæ in dictis explicata sunt.

Hiscæ ergo probè consideratis, & animo cavillandi & depravandi seposito, probamus prius membrum: unionem factã esse in unam τὸ λόγῳ ἕνωσιν ita ut ex duabus naturis facta jam sit una persona.

1. *Ex natura humana λόγῳ factã appropriatione: fecit λόγος humanam naturam sibi propriam, idcirco fit caro*. Joh. 1. 14. & participat carni & sanguini, Heb. 2. 14. appropriat sibi sanguinem, ut ejus jam sit proprius, Hebr. 9. 2. Act. 20. 28. habet suum corpus, 1. Pet. 2. 24. Matt. 14. 8. suam carnẽ, Joh. 6. 52. suam animam, Matt. 26. 38. suas manus, latus, pedes, Es. 50. 6. Eleganter declarat hoc argumentum Chemnit. lib. dicto c. 5. p. 23. In ipsã conceptione massam illam humanæ naturæ filius Dei in suæ personæ unitatem,

tem, ut in ea subsistat & sustentetur, assumfit, & assumendo propriam sibi fecit, ita ut corpus illud non sit alterius individui seu alterius personæ, sed ipsius filij Dei proprium corpus. Et anima illa, ipsius filii Dei propria sit anima. Sicut anima Petri habet proprium & peculiare suum corpus, cujus etiã propria est anima, & cum quo constituit substantiam individuã, incommunicabilem, quæ est persona Petri. Et fundatur hoc argumentum in differentia unionis hypostaticæ & gratiosæ. Ita procedo: Caro seu natura humana propria est λόγος, vel ut persona distincta à λόγῳ, vel quatenus in unã personã cum eo subsistit; sicut anima & corpus Petri ipsius sunt propria, quia ipsius personam constituunt. At prius non est, alias etiã sanctorum corpora Dei essent propria. E. posterius.

2. *Ex attributorum personalium unitate*: superius thesi 4. demonstravimus unionem ex unitate Christi, quod dicatur *unus Deus*, 1. Cor. 8. 6. *unus mediator*, 1. Tim. 2. 5. in iis vero attributis hoc observamus, quod unum idemq; prædicatum Christo attribuatur, tum secundum divinam, tum secundum humanam naturam, nec tamen exinde geminantur supposita, sic quãdo Christus dicitur filius Dei, idem filius est filius Mariæ, quippe ex quã nascitur. Luc. 1. 31. dicitur ergo prædicatum de utraq; natura, est filius hominis, & est filius Dei, nec tamen geminatur, *sed unus manet filius*. Sic 1. Cor. 15. 47. dicitur *Christus homo Dominus de cælo*, idem dicitur *Dominus gloria*, 1. Cor. 2. 8. *Dominus Dominantium*, Apoc. 17. 14. & tamen *unus saltem est Dominus*, 1. Cor. 8. 6. *Unus est mediator, qui est homo*. 1. Tim. 2. 6. qui nos suo sanguine redemit, Eph. 1. 7. is autem non est homo tantum, *sed Deus proprio sanguine ecclesiam sibi acquisivit*, Act. 20. 28. & *sanguis filii Dei emūdat nos ab omni peccato*, 1. Joh. 1. 7. quippe *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi ipsi*, 1. Cor. 5. 19. Talia autem prædicata competunt abstracto non naturæ, sed personæ, persona enim dicitur filius, Dominus, mediator, non natura absq; persona. Ita ergo argumentamur: Quot sunt filii, quot Domini & Mediatores, tot etiam sunt personæ. Atqui



non duo, sed unus est filius, unus Dominus, unus mediator. Et non duæ sed una est persona.

2
 ἡ ἐν τῷ
 σώματι.

Περὶ χωρῶσιν ἔκ κοινῶν τῶν naturarum probamus. 1. διὰ Col. 2. 9. ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. *In ipso habitat omnis (tota) plenitudo Deitatis corporaliter.* Singula verba ponderanda. 1. *in ipso* per hæc verba Photiniani intelligunt mysterium de Christo, cujus v. 2. facta erat mentio, sed hanc explicationem ut nimis violentam & contortam, antecedentia & consequentia verba textus nō admittunt. Intelligimus ergo per verba hæc *ipsum Christum*, cujus proximè nomen præcedit; nec totam ejus personam; sed *naturam humanā*, quæ est subjectum, in quo Deitatis plenitudo habitat. Colligimus hoc: (1.) aut enim intelligitur divina aut humana natura aut ὑπόστασις; prius non, quia divina natura inhabitat, & nō inhabitatur, nec posterius, ὑπόστασις, n. à naturâ divina realiter non differt, sed simul ac ipsa natura inhabitans est Ergo relinquitur medium, humana sc. natura. (2.) ex testimonio Damasceni lib. 3. orthodox. fid. c. 6. ita exponentis, *In ipso habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, id est in carne ejus.* (3.) ex usitatâ unionis appellatione; appellatur enim unio seu hæc inhabitatio. ἐνσάρκωσις, ἐνανθρώπησις, ἐνσωμάτωσις, quæ ratio appellationis ex subjecto inhabitationis, quod est caro & corpus, dependet. 2. *In habitat*, quæ vox, accidentalem adhæSIONEM refutans, arctissimam naturarum conjunctionem & communicationem exprimit, hoc patet (1.) ex discrimine unionis gratiosæ & hypostaticæ, de quo supra (2.) ex naturarū unione. Explicat n. Calviniani hoc dictum de naturarum unione. Polanus syllog. theol. part. 2. p. 150. *omnis plenitudo Deitatis, i. e. tota divina essentia cū omnib. suis proprietatibus atq; thesauris inhabitat in Christo σωματικῶς, h. e. proprio quodam corpore assumpto, sibiq; in unam ὑπόστασιν unito, sic ut verbum σῶμα factum sit, eo sensu, quo Joh. 1. 14. caro factum.* Nō autem unio facta dicitur per ὑπόστασιν, sed per κατοίκησιν, & unionem sequitur immediatè cōmunicatio, unitæ ergo nature sunt quoq; cōmunicatæ, quid quod ex hac

ex hac inhabitatione oriatur ὑποστάσεως λόγος communicatio
 carni facta, E. & ipsius naturæ quæ à persona realiter non dif-
 fert. 3. *Omnis plenitudo Deitatis*. Deitatem exponunt Photiniani
 de donis excellentissimis in Christo. Sed id supra rejecimus, &
 de tota Deitatis essentiâ intelligimus, id quod cōstat (1.) ex Po-
 lani & Piscatoris superius allegatis testimoniis. (2.) ex usitatâ
 scripturæ phrasi. Sic tota *plenitudo terræ est orbis terrarum, pleni-
 tudo maris est totum mare*. Vide Pl. 24. 1. Pl. 50. 12. Pl. 96. 11. Es. 34.
 1. c. 42. 10. (3.) ex naturæ divinæ simplicitate: illa n. partem extra
 partem non habet, sed ubi est, ibi tota est. 4. σωματικῶς hæc vo-
 cem explicant, vel de termino unionis, ut idem sit quod ὑπο-
 στατικῶς personaliter, cum vocabulum σῶμα sæpius pro *perso-
 na* usurpetur: vel de subiecto inhabitationis, in quo inhabitat
 plenitudo Deitatis, quod sit τὸ σῶμα. Cum a. persona λόγος sub-
 jectum inhabitationis non sit, ut jam vidimus, sed humana na-
 tura, ad utrumq; tum terminum tum subiectum respicere vi-
 detur Apostolus, & hac voce inhabitationis seu unionis mo-
 dum voluisse exprimere: nō quidem ex parte inhabitantis, in-
 habitans enim divina natura corpus non habet, ut corporali
 modo in Christo inhabitare possit, sed ex parte subiecti & ha-
 bitaculi. Hoc habitaculum dicit inhabitari σωματικῶς, docēs;
 inhabitantis divinæ naturæ subiectum seu habitaculum esse hu-
 manam naturā σωματικῶς, corporaliter, & ita σῶμα (habens,
 sc. unitam animā) esse illud templum (hoc etiam ideo templū
 suum vocat Christus Joh. 2. 19.) in quo omnis plenitudo Dei-
 tatis habitat, & extra quod non sit, sed ubi sit, ibi hoc templum
 inhabitet. Sic itaq; conjungimus hæc duo, *terminum* unionis
 seu inhabitationis & *subiectum*; *Terminum* & personalem sub-
 sistentiam τῆς θεότητος attendit Apostolus, sed illā extra σῶμα
 non extendit, sed ubi subsistit λόγος, ibi σωματικῶς inhabi-
 tat carnem, ubiq; existēs incarnatus & incorporatus, extra hu-
 manam naturam, & corpus nullam habens subsistentiam. Cō-
 sentire videtur Polanus, quādo dicto loco scribit Deitatem fa-
 ctam esse quodammodo *incorporatam, assumptione corporis, sicut*



caro fuit deificata, per incarnationem verbi. Dicimus ergo quod hac voce fiat 1. determinatio *subiecti seu habitaculi*, quod extra corpus non extenditur. 2. *Explicatio modi unionis*, qui *περιχώρησιν* naturarum includit, ut divina natura exinde q. incorporata dici possit: Respicitur enim ad præcedētia verba, tum ad hæc, *in ipso*: quæ quidem initio ad totam personā referenda vidētur, sed postmodum per vocem hanc *σωματικῶς ad humanam naturam* restringuntur, & sic determinatur *subiectum*, tum ad illa, *omnis plenitudo Deitatis inhabitat*, & sic *περιχώρησις* infertur. Ex dictis Argumentamur: Quæcunq; natura habitat in humana natura corporaliter, illa humanæ naturæ communicata est; Atqui divina natura habitat in humana natura corporaliter, Ergo Divina natura humanæ naturæ communicata est. it: Quæcunq; natura inhabitās incarnata & incorporata est, illi humana natura communicata est. Atqui divina natura incorporata & incarnata est, E. divinæ naturæ humana natura cōmunicata est. Major per se patet, & declarari potest ex unione corporis & animæ, sicut enim corpus nō est *ἐμψυχον*, cui anima non est communicata, nec anima incorporata dici potest, quæ nō permeat corpus, ita nec divina natura potest incarnata & incorporata dici, nec humana Deificata, nisi accedat mutua communicatio.

2. *Heb. 2.14. ubi ipsa verba κοινῶν ἐν καὶ μετέχειν* habētur, ut exinde argumētari liceat: Quicumq; communicat carni & sanguini sicut pueri, is communicat humanæ naturæ. At *λόγος*, seu filius Dei participat carni & sanguini sicut pueri: E. *λόγος* communicat humanæ naturæ; *λόγος* autem seu filius Dei non est persona absq; divinā essentiā. Minor probatur: alia enim est natura participās, alia participata; & notetur finis incarnationis hic expressus: dicitur enim incarnatio facta, *ut per mortē destrueretur is, qui habebat mortis imperium, id est diabolus*. Ita ergo colligimus: Is qui destructurus erat diabolum, participat carni & sanguini; Atqui *λόγος* seu filius Dei destructurus erat diabolum. E. *λόγος* seu filius Dei participat carni & sanguini.

Nota

Nota a. quamvis tota persona moriendo mortem destruxit, distinguitur tamen hic natura divina participans ab humana participata: ut hoc modo rectè dicere possim, λόγον qui carnē assumpsit, mortem destruxisse. It. Is qui in suā naturā mori nō potuit, participat carni & sanguinī, ideo n. assumpsit carnē, ut mori posset. Atqui filius Dei in suā naturā mori nō potuit; E. filius Dei participat carni & sanguinī.

3. *Ex dictis quæ carnem & sanguinem filio Dei proprium affirmant*, ut Act. 20. 28. Heb. 9. 12. 1. Pet. 2. 24. 1. Joh. 1. 9. Notamus autem subjectum hic esse concretum divinæ naturæ, huic subjecto dicitur caro propria; unde ita concludimus: Quæcunq; natura filio Dei est propria, illa divinæ naturæ est unita & assumptione communicata. Atqui humana natura filio Dei est propria. E. divinæ naturæ unita, & assumptione communicata.

4. *Ex propositionibus personalibus Deus est Homo, & Homo est Deus*: in his propositionibus. una natura prædicatur de alterâ in concreto, ut postea patebit. Constat a. ex regulâ Logicorum, in qualibet verâ propositione affirmativâ, subjectum participare de natura prædicati, ex qua fit talis ἀπόδειξις: Quæcunq; naturæ de se invicem prædicantur, illæ sunt communicatæ invicem: Atqui divina & humana naturæ de se invicem prædicantur, E. Divina & humanæ naturæ invicem sunt communicatæ.

5. *Ex ἀποτιλέσματων per aditione*: In ἀποτιλέσμασι utraq; natura agit cū communicatione alterius, ut veteres loquuntur, ita ut ad unā eandemq; operationem, & divina & humana natura concurrat, Argumentū: Communicatis operibus. communicantur naturæ; Atq; operationes harum naturarum cōmunicantur. E. naturæ communicantur. Ratio majoris patet: communicatio enim operationum præsupponit communicationē principiorum, à quibus fluit operatio. Ferrum non potest incidere & urere, nisi habeat communicatum ignem: corpus non sentit nec vivit, nisi communicatā animā.

6. *Ex crassa Adversariorum hypothesis*: Dicunt n. Adversarii λόγον esse totū in carne, & totum esse extra carnem, ut jã videbimus. Crasse admodum fingūt, personā λόγου, quam q. realiter

LB.
liter distinctam à λόγῳ sibi imaginantur, in se comprehendere,
 & divinā τῆς λόγῳ & humanam naturam, & hæc parvū quod-
 dā spatium, ubi per naturam esse possit, occupare, sicut gemma
 in annulo, & sol in cælo, divinā naturā reliquam personæ par-
 tem sibi vindicāte. præsupponamus hanc rudem & crassam, de
 extēsiōe & locabilitate, imaginationē. aut ergo divina λόγῳ
 natura in personæ λόγῳ parte, qua humana natura sustētatur,
 est & permeat humanam naturā, aut recessit, & q. locum dedit
 humanæ naturæ, eiq; q. per agglutinationem in personā unita:
 Posterius cōcedere nō possunt, esset n. eo in loco, ubi est huma-
 na natura personalitatis pars, (qui tamen partem extra partem
 non habet, nec à natura realiter distinguitur), ubi nō esset ipsa
 natura, & sic persona quidem esset infinita, non a. natura, quod
 absurdum. Si prius, nolint negare divinam naturam permeare
 humanam, & sic eidem esse communicatam.

3
αβία.
 Succedit jam *tertium*, quod de ἀδιασυσία λόγῳ, & carnis
 agit quā probamus. 1. *Ex dicto Col. 2. 9.* hoc loco repetatur εὐ-
 φασίς verborū πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, & inhabitare σω-
 ματικῶς. Illa n. talem nobis suppeditat syllogismum: Quod-
 cunq; habitat in corpore tanquā in suo tēplo, illud nō est extra
 illud Atqui omnis plenitudo Deitatis habitat in corpore tan-
 quā in suo tēplo, E. omnis plenitudo Deitatis nō ē extra corp⁹.

2. *Ex unionis termino:* unionem esse factam in unum ὕψι-
 σάμενον jam dictum probatumque est; & probè consideretur
naturarū περιχώρησις: qua una natura alteram ita permeat, sic-
 ut ignis ferrum, & anima corpus, ne quis unionis modum per
 agglutinationem vel adhæsiōem, sicut pes adhæret corpori,
 factum sibi imaginetur. Attentè quoq; expendenda sunt *uni-*
ta, quæ sunt λόγῳ cum totā suā essentiā, & omnibus essentialib. at-
tributis, (teste Polano, loco allegato) & *humana natura.* Hæc duo
 sunt, quasi partes, inter quas unio totalis intercedit, sicut inter
 animam & corpus, cum quā unio hypostatica in symbolo A-
 thanasii confertur. Absurdi ergo sunt Calviniani, ab unione
 partiali ad totalem argumentantes, ut sicut anima est tota in
 digi-

digito, tota in capite, tota in pede, & tamen etiam extra digi-
tum, extra caput, extra pedem tota, sic etiā λόγος totus in car-
ne, totus extra carnem. Absurdi inquam sunt, nec enim digitus
tantum, nec pes, nec caput tantum, sed totum corpus est alterum ex-
tremum unicum, extra quod anima, quādiu unita est, non existit,
& simul ac extra corpus ponitur, unita & incorporata amplius
non est, sic itidem divina & humana natura, hæc duo totalē u-
nionem absolvent, & unum compositum constituunt. Nec est
quod præendas λόγος infinitatem, ego prætendo verba Apo-
li πάν πληρωμα, ut ut infinitum sit, est alterum extremum uni-
torum. Colligo ergo. Quæcunq; unita unum constituunt ὑφιστά-
μενον, illorum unum non est extra alterum; Atqui divina &
humana naturæ unitæ unum constituunt & absolvent ὑφιστά-
μενον. Eius una natura non est extra alteram.

3. Ex ἐνανθρωπήσεως καὶ ἐνσαρκώσεως perpetuitate: Ubi
λόγος est, ibi θεάνθρωπος, ibi ἐνσαρκος est, cōtrarium concede-
dere coguntur adversarii, quamdiu suum extra retinent. Ita e-
nim sequitur: Quodcunque est extra carnem, illud est ἄσαρ-
κον; Totus λόγος est extra carnem. Ergo totus λόγος est ἄσαρ-
κος. Ulterius: Quicumque est ἄσαρκος, ille non est θεάνθρω-
πος; Totus λόγος est ἄσαρκος. Ergo totus λόγος non est θεάν-
θρωπος. Quicquid excipiant adversarii, λόγον manere ἐνσαρ-
κον, manere θεάνθρωπον, quia semper caro unita est λόγω, eo in
loco ubi caro per naturam existit, duplicem nihilominus λό-
γον habebunt, ἄσαρκον & ἐνσαρκον: λόγος enim ἀμερῆτος est,
& indivisibilis, ubi est ἄσαρκος, ibi non est θεάνθρωπος, sed persona
simplex, & contra, ubi est ἐνσαρκος, ibi θεάνθρωπος est.

4. Ex ὑποστάσεως λόγος communicatione. Totam n. hypo-
stasin λόγος carni communicavit, ut jam caro equè ac λόγος hac
hypostasi subsistat. Itaque: Quodcunq; subsistit in ὑποστάσει
τῆς λόγος, extra illud non est λόγον. At caro subsistit in hypo-
stasi τῆς λόγος. Ergo λόγος non est extra carnem. Majorem infi-
ciantur adversarii, sed perpendant, λόγον totam hypostasin,
quæ indivisibilis est, carni communicasse, illamque hypo-
stasin

Ita fin esse illocalem, ut caro illocaliter jam subsistat, nec necesse sit, carnem uno saltem in loco unitam esse λόγῳ, sed absque ullius loci respectu, illocaliter unitam esse. Quod autem illocaliter unicum est, illud non uno tantum in loco unitum est, nullo enim loco includitur: sed λόγῳ caro illocaliter unita est. E. non uno tantum in loco unita est.

5. Ex absurdis in sequentibus hoc modo. Quodcumque est extra carnem, illud non est unitum carni; Totus λόγος est extra carnem. Ergo λόγος non est unitus carni. En unionis solutionem. Item: Ubi λόγος existit, ibi est persona; extra carnem existit; E. extra carnem est persona. En duplicem personam ἀσάρκον & ἐνσάρκον. Porro: Quæ persona est extra carnem, illa non est in carne. Persona carnis est extra carnem. E. persona carnis non est in carne. En unam personam in & extra carnem.

Hæc fuit theses nostræ demonstratio, nunc subjiciendæ antitheses. Priori membro opponunt se Nestoriani, duas facientes personas, ut thesi 3. vidimus, ut & Photiniani, qui unam saltem in Christo naturam agnoscentes, ipsam unionem negant, proinde quoque omnia quæ de unione dicuntur. Alteri membro contradicunt & Jesuitæ, & Calviniani, quorū pugna cōmodius in antithesi de communicatione idiomatū suscipi potest, quousq; eā reservabimus. Tertio mēbro iidem Adversarij litē movent, h. m. λόγος semper unitus est carni, eāq; sustentat, nec est extra carnē eo in loco, ubi caro per naturā subsistit, subsistit nihilominus propter immensitatem & infinitatem suam infinitis aliis locis, ubi finita caro non existit. Bellarminus l. 3. de Christo cap. 17. Licet alicubi sit verbum ubi non sit humanitas, tamen etiam ibi verbum est homo, quia verbum ibi existens sustentat humanitatem, uti suam & propriam, licet alibi existentem. Danæus Exam. lib. Chem. p. 88 Neg. tamen eo valet ista copulatio tam arcta, tamq; inseparabilis duarum Christi naturarum, ut propterea, quemcumq; in se cum divina natura λόγος diffunditur, eo quoq; humana & assumpta natura coextendatur. Et paulò post. Præterea cum hæc natura assumpta, id est humana, nec æqualis, nec coextensa, nec eadem cum divina natura,

assu-

assumente per incarnationem facta sit: sed illi tantum secundum hypostasin unita fuerit, ex hac unione non efficitur, ut, ubicumq; & quocumq; in loco ipsa est λόγος divinitas, ibidem quoq; adsit re ipsa ejusdem humanitas. Zanchius de incarnatione filij Dei l. 2. p. 233. respondet ad locum, Col. 2. 9, Totam plenitudinem Deitatis inhabitare in carne Christi, nec tamen ibi esse conclusam: quia ita tota est in humana Christi natura, ut etiam sit extra eam ubiq; in celo & in terra. & pag. 244. ubi dissimilitudines unionis hypostaticæ ab unione corporis & animæ proponit, dicit dissimilitudine 7. & 8. 7. anima est finita & ideo in finito corpore conclusa; Deitas infinita & immensa, ideo licet tota in humana natura, non ibi tamen inclusa, sed tota etiam extra humanam naturam. 8. Ideo anima dum est in corpore, nihil extra corpus operari potest, Deitas & in humanâ naturâ & extra eam operatur. Subiicit his verbis, se mirari propterea impudentiam simul & malitiam cujusdam ubiquitarii, qui ut anima existens in corpore nil operatur extra corpus; ita Deitas Christi nil extra humanam naturam operatur, asserere non veretur. Melius ergo unionem hypostaticam conferri cum unione lucis primogenæ & corporis solaris putat: ut quemadmodum lumen totum est in corpore solari, & totum extra illud: ita lux Deitatis tota in humanitate & tota extra eam sit. Consulatur itidem fadeel de veritate humanæ naturæ Christi c. 4. ubi per totum de hoc themate & communicatione idiomatum disputat, & illud destruere conatur.

Arietes, quibus hanc sententiam propugnare conantur sunt. 1. quod λόγος sit infinitus, per omnia loca diffusus & extensus, ut loquitur Danaeus, caro vero finita quæ per omnia loca cœxtendi nequit. 2. quod caro semper in certo quodam loco extiterit, ut in utero Mariæ, non vero extra illum; passus Hierosolymis, non verò Romæ aut alibi, λόγος vero non tantum iis in locis, verum etiam in infinitis aliis ubiq; præsens fuerit.

Respondemus his 1. Primo omnium cessare volo quasvis cogitationes de loco & localitate, quæ sunt ab hoc myste-

rio longissimè remotæ, dicit D. D. Mentzerus Tom. 7. Giess: disp. ii. th. 38. multo magis ergo removendæ sunt cogitationes de diffusionè & extensione: λόγος quippe simplicissimus omnis materiæ expers, nullo modo diffunditur aut extenditur, nullo quoq; loco inclusus est: Caro vero non suâ, sed λόγος hypostasi subsistit, quæ hypostasis illocalis, facit carnem illocaliter subsistere. 2. Actus naturalis non opponendus est personali: caro certo loco subsistit actu naturali, nihilominus ubique cum λόγος existens actu personali qui actus postea probabitur.

THESIS SEPTIMA.

Postquam homo per lapsum Deum offenderat, ejus gratiâ exciderat & vitâ eternâ se privârat, venit filius Dei in carnem ut humanam genus redimeret & vitam eternam ei acquireret.

Ἐξήγησις.

Agimus hac thesi de fine unionis personalis, quem redemptionem generis humani, & vitæ æternæ acquisitionem facimus. Multa quidem hic dici possent de variis quæstionibus, utrum scilicet Christus satisfecerit pro nostris peccatis? an omnibus vitam æternam acquisiverit, & an omnes redemerit, an vero saltem aliquos? It: cum incarnatio facta sit ad redimendum genus humanum, an ergo utraq; natura in redimendo genere humano egerit? An Christus sibi ipsi aliquid pro merito fuerit? sed de his & similibus quæstionibus, suo loco de officio Christi rectius agitur, non ergo hoc loco hac quæstiones nostras facimus, sed hoc saltem ostendemus, restitutionem generis humani finem incarnationis esse, quæ si necessaria non fuisset, nec filium Dei incarnatum fuisse.

Hunc

Hunc finem docent. i. *scriptura dicta*, ut Matt. 1. 21. *Ipse enim saluum faciet populum à peccatis eorum.* c. 18. ii. *venit enim filius hominis saluare quod perierat,* c. 20. 28. *venit filius hominis dare animam suam pro multis,* Joh. 3. 17. *Misit Deus filium suum in mundum, non ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum,* Gen. 3. 15. *semen mulieris conteret caput serpentis,* Heb. 2. 14. *Participavit carni & sanguini, ut per mortem destrueret illum, qui haberet mortis imperium, id est, Diabolum,* 1. Joh. 3. 8. *in hoc apparuit filius Dei ut destrueret opera diaboli.* Argumentum : Quem finem incarnationis sacra scriptura expressè ponit, is ab omnibus piis est credendus. At destructionem operum Diaboli, peccatorum expiationem, & vitæ æternæ acquisitionem sacra scriptura finem incarnationis ponit. E. operum Diaboli destructio, peccatorum expiatio & vitæ æternæ acquisitio finis incarnationis est credendus.

2. *Legitima consequentia* ; proponit enim nobis sacra scriptura lapsum primi nostri parentis, Gen 3. per quem inobedientes Deo facti in peccata prolapsi sunt, & rei facti damnationis & mortis æternæ ; Nec pro se tantum hanc culpam contraxerunt, *sed per hujus unius hominis inobedientiam peccatores sumus constituti multi,* Rom. 5. 19. *ita ut omnes simus sub peccato,* c. 3. 10. *Omnesq; peccaverimus & egeamus gloriâ Dei.* vers. 23. Deus itaq; per peccatum offensus, reconciliandus erat, & lex, quæ perfectam requirit obedientiam, implenda. Homo autem legem implere non poterat, *venundatus enim est sub peccato,* Rom. 7. 14. *quapropter quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus, filium suum mittens in similitudine carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne,* Rom. 8. 3. *is redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum,* Gal. 3. 13. Ex quibus hoc elicimus argumentum : Quodcumq; homini præstandum, homo verò præstare non poterat, ejus gratiâ filius Dei incarnatus est ; sed redemptio, reconciliatio, liberatio à maledicto legis, justitiæ Dei pro peccatis satisfactio, & vitæ æternæ acquisitio homini erat necessaria, nec homo ea præstare potuit ; E. talium gratiâ filius Dei fuit incarnatus.



Facile igitur ex his patet, filium Dei incarnatum non fuisse, si homo prævaricatione suâ à lege Dei non descivisset, ac iram Dei & æternam maledictionem non promeritus fuisset: Si enim homo in connatâ justitiâ & integritate perstitisset, immortalis fuisset; *creavit enim Deus hominem in exterminabilem, invidiâ autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum*, Sapien. 2. 23. Nec putandum, Deum frustra, nullâ causæ necessitate urgente in carnem venisse. Concludimus itaque; Ubi locum non invenit redemptio & vitæ æternæ acquisitio, ibi nec locum invenit incarnatio; sed, si homo non peccasset, locum non inveniret redemptio, nec vitæ æternæ acquisitio; E. si homo non peccasset, nec locum inveniret incarnatio.

Ἀντιλέγοντες reperimus Photinianos, negantes Christum ideo venisse, ut pro peccatis humani generis satisfactionem præstaret, & nos ab æternâ maledictione redimeret. Hinc statuunt illum mittendum fuisse, etiamsi homo non peccasset: quibus in posteriori opinione ὁμώψηφοι sunt quidam ex Calvinianis, Scholasticis & Pontificiis, dubitanter tamen plerique: Vid. Gerhard. Exeg. L. C. p. 1274. §. 140. seq. ubi omnia copiosè explicantur, ac legatur Tannerus Tom. 4. Theol. Schol. disp. de incarn: Nunc ab unionis causis ad effecta progredimur, quæ enumeramus, 1. diversos naturæ actus, 2. propositiones personales, 3. idiomatum communicationem, de primo in sequenti, de reliquis in posterioribus thesibus.

THESIS OCTAVA.

Ex unione personali nature duplicem actum consequuntur, unum naturalem; quo nature aliquid attribuitur secundum se & essentialia principia; alterum personalem; quo ipsi aliquid tribuitur secundum peculiarem subsistendi modum.

Ἐξή.

Εξήγησις.

Hæc est illa Helena, pro quâ tot pugnae suscipiuntur, tot acies instruuntur, tot bella moventur; Hic imprimis defatigat se Keckermannus, laborat sâdeel, sudat Martinus; hanc nobis ut eripiant, omnem movent lapidem; vident enim hanc esse unicam perditionis illorum causam, & dogmatum hæterodoxorum destructricem, quam si jugulaverint, salvi erunt victoriamq; decantabunt. Ut autem tela adversariorum avertamus, & injuriam reprimamus, de fundamento horum actuum aliquid agendum erit. Dicemus igitur. 1. *quid per hos actus intelligatur*, 2. *etymologias rationem indicabimus*, 3. *actuum horum subjecti diversitatem declamabimus*, & deniq; 4. *rationibus firmis eos demonstrabimus*. Balbutio verò hic cum Mentzero in modestâ respons. contr. Martin: p. 369. & dico, non possum assequi quod volo, exprimo ut valeo, si quis commodius efferre possit summum hoc mysterium, grato animo audiam & discam.

I. Per actus intelligimus *certa substantialia principia, vel omnia illa, à quibus profluunt & emanant certæ operationes*, quas Philosophi *actus secundos*, appellant, Meisn: part. 1. P. S. f. 4. quæst. 1. p. mihi 955. *Naturalis igitur actus*, is est, qui ab integritate naturarum, oritur, & à quo naturalia profluunt *ἐνεργήματα*. Christus enim Deus, eandem cum Patre & Spiritu S. habet essentiam: Christus homo verò nobis *ὁμοῦσι*, æquè ac cæteri homines humanam habet naturam & essentiam. Utraq; natura habet suum perfectum actum, à quo quæ profluunt, naturalia dicuntur, & actus ille naturam actuans naturalis dicitur. E. g. Dicitur de Christo Deo, quod fuerit à principio, Joh. 1. 1. dicitur item, *passus Christus, sed in carne*, 1. Pet. 4. 1. utrumq; prædicatum habet suum principium proprium, à quo provenit, ex cui iterum attribuatur, quod principium est actus *naturalis*, hinc prædicatum naturæ naturaliter, vel secundum actum naturalem attribui dicitur.

Actus personalis est, qui provenit à singulari unionis & sub-

Actus 2d.

Naturalis.

Personalis.

sistendi modo; à quo ἐνεργήματα personalia profluunt; Nam
 λόγος & propriâ personalitate ab æterno subsistit, quæ persona-
 litas primariò, propriè, per se & naturaliter divinæ λόγος natu-
 ræ competit; humanæ verò naturæ per & propter unionem
 personalem communicatur; & ita hæc persona secundariò,
 κατ' ἄλλο & propter unionem fit naturæ humanæ persona, in
 qua personaliter subsistit. Ex hoc singulari & personali sub-
 sistendi modo oritur *actus personalis*, natura enim humana non
 subsistit naturaliter, personâ sc: naturæ huic naturaliter conve-
 niente; sed personaliter, ipsius λόγος hypostasi. Natura verò
 divina λόγος non subsistit amplius ut ante unionem sola in hac
 hypostasi, & simplex est persona; sed unâ cum humanâ naturâ
 in eâdem personâ subsistit, & personam compositam consti-
 tuit. Hic *actus* declaratur exemplo tali: *Deus dicitur passus,*
dicitur natus ex muliere, Gal. 4. 4. *caro dicitur vivifica*, Joh. 6.
 Hæc prædicata dicuntur de naturis non per & propter *actum*
naturalem; Deus enim actu naturali non patitur & nascitur, a-
 liàs Deus naturaliter pateretur & nasceretur. Nec caro actu
 naturali est vivifica, aliàs naturaliter vivificaret; sed actu per-
 sonali, per & propter unionem personalem. Subjectum qui-
 dem, cui prædicatum attribuitur, & quod realiter de prædica-
 to participat, est ipsa humana natura; principium verò seu a-
 ctus, ex quo hæc participatio oritur, non est ipsa natura, sed u-
 nio personalis. Illustrari res commodè potest *simili unionis a-*
nimæ & corporis; ntraq; pars, & corpus, & anima habet suum
 actum essentialem, à quo essentialia prædicata oriuntur. Per
 hunc actum essentialem *corpus est grave, quantum, locabile*; anima
 est *intelligens, viva, sentiens*. Ex unione postmodum, quando
 uniuntur anima & corpus ad unam naturam, hæ partes essen-
 tiales alium actum consequuntur, qui *naturalis* dicitur, per &
 propter hunc actum naturalem: *corpus naturaliter sentire, vive-*
re & moveri, anima verò *incorporata* dicitur: Ita etiam de λόγος
 & carne.

Lubet apponere verba Mentzeri, qui iisdem fermè ver-
 bis,

bis, iisdem exemplis rem explicat, in Antifadeele p. mihi 269: quando enim fadeel obijcit, rationem & modum personalis unionis esse, ut utriq; naturæ, proprietates suæ serventur, ita respondet Mentzerus: *Verum id est, inquit, & in nostrâ etiam definitione expressè additum, sed id, quod inde tanquam consequens concludit fadeel, est falsissimum, quamprimum enim ille audit servari proprietates, ilicò negat communicationem idiomatum, qui error est ἀντικειμένων, ea enim minimè pugnant in Christi personâ, sed sunt pulcherrimè consentanea & consuetaria, proprietatum conservatio essentialis, quia essentiæ divise; & proprietatum communicatio personalis, quia personâ una. Vita Deo λόγῳ essentialis est, carni unita communicatur personaliter. Quod dico manifestum est exemplo animæ & corporis, sentiendi vis animæ est essentialis, corpori communicatur ab animâ; Una igitur & eadem sentiendi facultas & propria & communis: Propria essentialiter animæ, communis corpori propter naturale utriusq; vinculum, & quia ex utroq; unus homo est. Hæc ille.*

II. Perspicuitate rei convicti adversarii sæpe nolentes volentes consentire coguntur, & veritati testimonium perhibere. Videtur autem modus loquendi ipsis minimè placere, cum non naturæ, sed personæ personale attribuendum: Igitur actus personalis denominatio indicanda erit.

Animadvertit autem attentus lector facile, quare hic actus personalis, & ea, quæ ex hoc actu progerminant, personalia & non naturalia dicantur, nimirum non ὑποκειμένης subjectum (illud enim sæpe natura, non persona semper est) sed ob unionem, quæ personalis, non naturalis est. Qualis enim est unio, talis etiam est actus ex unione proveniens; Unionem autem carnis ex λόγῳ ipsi adversarii personalem vocant, E. etiam actus ex hac unione proveniens rectè personalis vocatur. Cur v. actus naturalis ex unione corporis ex animæ proveniens non personalis dicatur, cū tamē ex hac unione, ubi duæ naturæ seu essentia anima scilicet & corpus ununtur, e. persona oriatur, sicut ex unione carnis & λόγῳ, hæc diversitatis ratio dari potest.

i. Enim

unde dicit?

1. Enim harum naturarum seu essentiarum nulla ante unionem personam constituit, sicut λόγος ante incarnationem. 2. Persona in qua anima & corpus uniuntur, utriusque naturalis est, utriusque naturaliter conveniens, utriusque naturaliter in ea uniuntur. Persona vero qua caro subsistit, carni naturaliter non competit, alias quaelibet individua humana natura talem sibi postularer personam; sed primario & naturaliter est λόγος persona, secundario demum & κατ' αλλο fit carnis persona, in qua subsistit non naturaliter, sed personaliter.

Quæro autem ab Adversariis, quando in his propositionibus, *Deus est passus, caro est vivifica*, prædicatum personæ attribuendum dicant, quid per personam intelligant? Utrum utramque naturam in unâ hypostasi subsistentem, an alterutram divinam vel humanam? an verò personalitatem absque naturis? Si prius, nec diversos actus, nec idiomatum communicationem effugere possunt? Si enim Deus patitur secundum utramque naturam, utraque natura participabit de passione, non autem participabit utraque naturaliter, alias Deus naturaliter pati dicendus erit; E. Personaliter. Si alterum, dicunt quam naturam intelligant in hac propositione *Caro est vivifica*, Si divinam; ea non exprimitur in subjecto: si humanam; ea naturaliter & essentialiter non est vivifica. E. alio modo sc. personaliter. Si posterius; personam à naturis realiter separant, & modo tribuunt, quod rei modo isto subsistenti tribuendum. Pij veteres dixerunt; *Quaecumque de Christo dicuntur secundum alterutram naturam intelligenda sunt*: Et secundum hoc antiquitatis effatum illas propositiones ita intelligendas dico, *Caro qua subsistit in λόγος hypostasi, per & propter illam in λόγος hypostasi subsistentiam, est vivifica. Deus qui unitus est carni, est passus*. Ratio dependet ex sola unionem; caro enim non subsistit naturaliter propria personâ, sed personaliter personâ τὸ λόγος, unde ipsi, propter unionem pro ratione subsistentiæ, talia prædicata attribuuntur. Deus verò non nudus amplius est Deus, sed θεάνθρωπος, de quo etiam θεάνθρωπος dicuntur.

Mentze-

Mentzerus in Elencho errorum Sadeenis, p. 129. hanc necessariam distinctionem notat. *Personale dicitur vel πρώτως & immediatè & quam maximè propriè, & tùm usurpatur tantum de personâ; vel dicitur δευτέρως mediatè & pro modo & ratione personalis unionis, & tùm usurpatur de natura humana quatenus est personaliter τὸ λόγῳ unita. Quare, quando caro Christi dicitur vivifica personaliter, non habet hunc sensum, quod caro Christi sit persona vivificandi virtute prædita; sed quod per & propter unionem personalem cum persona illa vivifica, nempe τὸ λόγῳ, caro hæc vivifica sit effecta. Hæc Mentzerus.*

Indignantur verò hi actus interdum aliis atque aliis verbis, præsertim quando attributa secundum hos diversos actus naturæ aut personæ attribuuntur, dicimus plerumque *attributum competere subjecto non καθ' αὐτὸ, sed κατ' ἄλλο, non κτὶ τὸ εἶναι, sed κτὶ τὸ ἔχειν, non esse φυσικὸν, sed ὑπερφυσικὸν*, quæ verbis diversæ distinctiones à Sadeele acriter exagitatæ, omnes cū ea, quâ distinguimus inter naturaliter & personaliter attribui, coincidunt, fundamentum enim *in his diversis actibus consistit.*

III. Diximus quidem in thesi naturas consecutas esse diversos actus, quod cum grano salis accipiendum volumus. *Manifestior enim est actus personalis in natura humana, quam divinâ, & ratione humane nature ipsi nature competit, ratione verò divina, non tam nature, quam personæ ante unionem simplici existenti convenit.* Cujus diversitatis ratio dari potest: 1. Diversæ personæ à naturis distinctio; persona enim ab humana natura differt *realiter, à divina verò vix ratione*, quod discrimen hunc actum evidentiozem in unâ, quam alterâ naturâ facit. 2. Discrimen inter *assumptionem & unionem*, de quo thesi quarta dictum etiam fuit. Licet n. ratione *extremorum unitorum unio est æqualis* inter divinam & humanam naturam, tamen ratione assumptionis *alia est ratio nature assumentis, alia assumptæ: λόγῳ enim assumens carni communicavit suam hypostasin, Caro vero non assumpsit λόγον, & illi suam hypostasin communicavit: Hinc*

3.
diversitas 70

L fit,



fit, ut λόγος quidem uniaturo carni, non tamen in hypostasi carnis, si ut caro in hypostasi λόγος subsistat. Manet igitur natura divina ratione subsistentiæ in eodem actu, subsistit enim æquè ac ante unionem propriam hypostasi, persona verò λόγος non manet in eodem actu, illa enim ante unionem erat simplex, & constabat una natura, post unionem verò non una, sed duabus constat naturis. Humana verò natura ratione subsistentiæ ipsa variatur, *actus naturalis manet ratione essentiae, personalis supervenit ratione subsistentiæ.* Hæc diversitatis ratio probè observanda est contra adversarios, communicationem intertio communicationis genere *reciprocam, & æqualem prædicandi modum* urgentes, ut si caro personaliter sit vivifica, Deitas etiam sit personaliter passa. Nam præterquam quod scripturam non habeamus præviã in his locutionibus, etiam *subiectum harum prædicationum, ex actu personali ortum habentium, aliud est ratione humane, aliud ratione divine nature*; Illa in abstracto, hoc est, humanitas habet alium actum naturalem, alium personale: Hæc verò non in abstracto, sed concreto naturæ, hoc est, non divina natura, seu Deitas, sed persona seu Deus alium actum personale consecutus est. Vide si lubet hanc quæstionem, An usurpandæ sint prædicationes abstractivæ Deitas est passa. Divinitas est mortua apud Gerhardum Exeg. LL. CC. p. 1356. §. 198.

Sed dicis: *Ergò etiam propter actum personale possum dicere, Caro est Deus, ut dico Caro est vivifica.* Respondet Schroderus probl. de communicatione proprii th. 708. *Etsi enim inquit propositio, Humana natura est Deus, à non nemine ex antiquis usurpata fuerit, & ut propositio in usitata, quæ significetur humana natura esse Deus, non essentialiter sed personaliter usurpari possit, at tamen in argumento, quo istud Adversarij ceu absurdum concludere volunt, consequentia est vitiosa.* 2. Resp. etiam, scripturam in his propositionibus non habemus præeuntem, quemadmodum in iis, *caro est vivifica, est omnipotens.* 3. Diversa est ratio, Vocabulum enim Deus æquè ac Deitas *Synonymicum est.*

Voca-

Vocabulum omnipotens verò *paronymicum*, rectè ergo dicere possum, caro est omnipotens prædicatione paronymicâ, non, verò dicere possum, Caro est Deus, quæ est prædicatio Synonymica, alias humana natura essentialiter esset Deus, quod contra Scripturam & rationem; sed ita possum dicere, Caro est Deificata, quæ est prædicatio paronymica, quia quæ καὶ ἐνωσιν communicantur, non συνωνύμως, sed παρεωνύμως prædicantur: Et hoc est, quod dixit Schroderus, consequentiam esse vitiosam à prædicatione sc. paronymica: Caro est vivifica, ad Synonymicam, Caro est Deus, argumentari.

IV. Ad quartum me accingo, & diversos hos actus stabilio, 1. *à subsistentia carnis*, aut enim subsistit caro actu proprio & naturali, sicut Petrus Paulus &c. aut personali τὸ λόγῳ per unionem hypostaticam: Prius non est, essent enim duæ subsistentiæ, altera, quâ Caro per se, altera, qua λόγῳ subsistat, E. personali.

2. *à diverso carnis & aliorum hominum subsistendi modo*. Quicquid est inhumana natura Christi ἁσιώδης, illud est in omnibus hominibus propter ὁμοιοσίαν naturæ humanæ; Atqui subsistere seu actus subsistendi in personâ λόγῳ non est communis omnibus hominibus; E. actus subsistendi naturæ Christi humanæ non est ἁσιώδης seu naturalis sed personalis.

3. *Ex propositionibus personalibus*. Dicitur enim, Deus homo, & homo Deus, vel per actum naturalem, vel per alium, qui est personalis. Non per actum naturalem, aliàs Deus naturaliter esset homo, & homo naturaliter Deus, E. per alium, qui est personalis, qualis est unio.

4. *Ex Idiomatum communicatione*. Dicitur Deus natus, passus, crucifixus, Caro dicitur vivificare, sanguis dicitur emundare à peccatis, hæ propositiones verificantur vel per actum naturalem, vel personalem: Non per actum naturalem, sic enim Deus naturaliter pateretur, nasceretur & crucifigeretur; Caro

Reyha

4.
Laos.

naturaliter vivificaret, sanguis naturaliter emundaret à peccatis, E. per actum personalem.

5. *Ex absurdis contraria sententia insequentibus, hoc modo.*

1. Natura non nisi actum naturalem habens, non subsistit in hypostasi λόγος; non enim naturaliter, sed personaliter unitæ sunt naturæ. Humana Christi natura non nisi actum naturalem habet, contendentibus adversariis: E. humana Christi natura non subsistit in λόγος: En solutionem unionis; It: si natura Christi humana nullum nisi naturalem actum habet, planè non subsistit; naturaliter enim actum subsistentiæ non habet: Sed nullum nisi naturalem actum habet: E. planè non subsistit: Absurdum. Ulterius: Quicumque non nisi actum naturalem habet, is est ψιλὸς ἄνθρωπος: Homo Christus non nisi actum naturalem habet: E. est ψιλὸς ἄνθρωπος: ἀσεβὲς: porro: Actus naturalis communis est omnibus hominibus; Actus subsistendi naturæ Christi humanæ est naturalis, E. Communis omnibus hominibus: En λόγος omnibus hominibus unitum. Denique caro subsistens in persona λόγος, non subsistit in ea personaliter seu actu personali, docente totâ antiquitate, & concedentibus adversariis, Caro subsistens in persona λόγος, non subsistit in ea personaliter, actum personalem enim non habet juxta adversarios. E. caro subsistens in persona λόγος non subsistit in persona λόγος. Contradictorium.

Antithesis hæc esto. Natura Christi humana non nisi unicum actum naturalem habet. Vidimus supra quomodo hi actus diversimodè naturis conveniant, adversariorum autem scopus eò maxime tendit; ut personalis actus ille ab humana naturâ excludatur, Quare ita scribit Sadeel: *unius ejusdemque rei esse duos actus primos simul, & quod gravius est, inter se oppositos, ne fando quidem auditum est.* lib. de Verit. H. N. p. mihi 170. ubi hanc distinctionem inter personale & naturale ex professo refutat. Idem facit Martinus Theol. de persona Christi p. 760. Et Keckerm: Syst. log. l. 2. p. 1. c. 4. p. mihi 208.

Argumentum

Argumenta eorum potissima hæc sunt. 1. Dogma illud de communicatione idiomatum, ad quod probandum hæc distinctio adhibetur falsum est: E. mera ἀλογία laborare de distinctionibus, quibus hoc dogma stabilietur. 2. Limitatio distinctionis coincidit cum subjecto & prædicato: Nam corpus Christi est ubiq; secundum modum ubiuitatis & Majestatis, & est Circumscriptum secundum modum circumscriptionis, perinde est ac si dicas, sol est lucidus secundum modum lucis, & est obscurus secundum modum obscuritatis, quod cum subjecto & prædicato coincidit. 3. Personale personæ attribuitur, non verò ei ex quo persona constat. 4. Persona Christi ex utraq; naturâ constat, non ergo persona debet opponi alteri naturæ:

R. 1. Falsitas dogmatis non infert falsitatem distinctionis, quæ ad probandum dogma usurpatur: Distinctio inter deum naturâ & officio vera est, usurpantibus nihilominus eandem Photinianis ad probandum falsissimum dogma, Christum naturâ non esse Deum. 2. Limitatio cum subjecto & prædicato non coincidit, sed differt ab iis, ut principium ab affectione, quæ à principio oritur. 3. Personale ipsi Adversarii naturæ attribuunt, quando dicunt naturam humanam λόγῳ esse unitam personaliter. 4. Non persona naturis, nec naturæ personæ opponuntur, sed subordinantur: Naturale ex naturarum integritate, personale ex unione oritur, ut ex supra dictis clarius patet.

THESIS NONA.

Ex naturarum unione & communicatione resultant propositiones personales, in quibus concretum unius naturæ prædicatur de concreto alterius naturæ, verè & propriè absq; ullo rhetorico tropo vel figurâ.

Exempla.
 Prædicationum personalium, quæ propter unionem personalem, ex quâ fluunt, quàm explicant, & ex quâ earum vis, natura, Veritas & connexio dijudicantur, vocantur *personales*, exempla suppeditat scriptura sequentia. Jer. 23. 5. 6. *Germen Davidis est Jehova justitia nostra.* Matt. 1. 21. 23. *Filius virginis est & vocabitur Immanuel, c. 16. 13. 16. Filius hominis est filius Dei viventis* Luc. 1. 35. *Sanctum quod ex Mariâ nascitur, filius Dei vocatur.* c. 2. 11. *Filius Mariæ est Dominus,* Marc. 15. 39. *Vere hic homo filius Dei erat,* 1. Cor. 15. 47. *Secundus homo est Dominus de celo.* Has propositiones cõmuniter efferimus ita: *Deus est homo, Homo est Deus*, quæ sunt propositiones verè, propriè, ac strictè dictæ personales: Nã licet propositiones in quibus *subjecti loco totum personale seu concretum persona* ponitur, suo modo ad prædicationes personales, propter subsistentiam utriusque naturæ in una persona referri possunt, differunt tamen à se invicem 1. Enim prædicationes personales propriè sic dictæ naturarum unionem & communicationem exprimunt; Hæ verò, in quibus subjectum est totum personale, non tam naturarum unionem & communicationem, quam veritatem designant. 2. illæ sunt convertibiles; Dico enim *Deus est homo & Homo est Deus.* Hæ non item; non enim dico: *Homo est Christus, seu Deus est Christus*, ut dico *Christus est homo, Christus est Deus.* 3. In illis prædicati locum obtinet natura singularis; in his secundum nonnullos prædicatur species de individuo extraordinario.

Naturam harum propositionum *proprie personalium* ut evolvemus, *ζητήματα* erunt explicanda hæc. 1. Quid in his prædicationibus prædicetur, quid subiiciatur, *utrum totum personale de toto personali?* an verò *natura de naturâ?* 2. An prædicationes illæ sint *proprie* an verò *figuratae?* quibus 3. addi potest quaestio de modo prædicandi logico, an in his propositionibus fit *usitatus* an *inusitatus?*

Circa primam quaestionem præcognoscendum est, quid in hac

hac

*1. Veritas de
 prædicationibus.*

hac controversia per *concretum*, quid per *abstractum* intelligatur: Uberiorem tractationem doctrinae de abstracto & concreto Philosophis relinquimus, nobis sciendum, *concreta* & *abstracta* esse vel *personae*, vel *naturarum*: *Concreta personae* sunt voces, quae notant totum *ὁρισμένον*, seu ambas Christi naturas unâ hypostasi subsistentes, ut *Christus*, *Immanuel*, *Salvator*. *Concreta naturae* sunt voces, quae unam alteramve naturam cum connotatione hypostaseos designant, ut, *Deus*, *Homo*. *Abstractae personae* idem est, quod *concretum naturae*. *Abstracta naturae* sunt voces, quae formam & essentiam naturarum in se absq; connotatione hypostaseos considerant, ut *Humanitas* *Divinitas* Confer. Meisn: part. 1. Phil. Sob. l. 4. c. 5. quaest. unic. p. mihi. 1068.

Dicimus ergo, I. *In praedicationibus personalibus non praedicatur abstractum naturae de abstracto naturae*. Ratio est, 1. quia scripturam non habemus ductricem. 2. facile naturarum abolitio & confusio per illas stabiliri posset. 3. in quacunq; praedicatione affirmativa est participatio subjecti de natura praedicati, illa autem participatio fundata est in *communicatione hypostaseos*, quare si hæc hypostaseos Communicatio non connotetur, nec participatio subjecti de natura praedicati, nec praedicatione ipsa locum habet.

II. *In praedicationibus personalibus non praedicatur concretum personae de concreto personae*, hoc patet, 1. Ex discrimine propositionis *Deus est Homo*, & hujus *Christus est Homo*, quod superius declaratum. 2. Ex absurditate resolutionis. Si enim totum personale de toto personali, praedicetur, talis erit resolutio; persona habens Deitatem & Humanitatem (Concretum personae) est persona habens Deitatem & humanitatem, (iterum concretum personae) quod foret tautologica & identica locutio.

Sed III. *Praedicatur in praedicationibus personalibus Concretum naturae de concreto naturae*. Antequam probationem instituiam, notetur, quando dico: *Deus est Homo* & *Homo est Deus*, quod per subjectum *Deus* non intelligatur *Deus ἁσάρως*, sed

Regula. 1.

2

3

sed *ἐνσάρκωσις*, & per hominem non nudus homo, sed homo Deificatus, nec tamen concretum personæ; ratio est, quia unio, quæ est causa harum propositionum, & quam explicant simul connotatur, distinctio tamen naturarum probè attendenda est. Distinguendum ergò inter *formalem termini significationem*, & *fundamenti, in quo consistit veritas propositionis connotationem*: Formaliter terminus in subiecto positus non nisi unam naturam in concreto, hoc est, cum connotatione hypostaseos significat, de quâ naturâ concretivè sumptâ in prædicato aliquid affirmatur, quod de ea in formali significatione absolute extra unionem positâ intelligi nequit. Fundamentum verò propositionis hoc est unio connotatur, non enim Deus ut est extra unionem est homo, sed unitus homini, nec tamen Deus & natura humana, hoc est concretum personæ formaliter intelligitur.

Hoc ita observato, assertionem nostram probamus i. *Ex propositionum personalium fundamento*: Hoc, ut sæpius dictum consistit in unione quæ describitur, Johan. i. 14. *Verbum caro factum est*, in quâ unionis descriptione subiectum formaliter significat filium Dei, seu secundam Trinitatis personam, hæc persona ex hoc unionis actu, qui hic describitur, facta est Caro, hoc est homo: & post unionis actum in unionis statu, dicitur & est Caro seu homo, & intelligitur in subiecto, quando Deus dicitur esse homo. Ita, E. Colligimus. Quodcumque per subiectum & prædicatum in hac propositione. *Verbum caro factum est*, intelligitur, illud etiam in hac, *Deus est homo* intelligitur. Atqui ibi non concretum personæ, sed naturæ per subiectum & prædicatum intelligitur; E. etiam in hac, *Deus est homo* non concretum personæ sed naturæ intelligitur. Minor præterquam quod ex dictis pateat, certa etiam ex eo est, quod alias Deus incarnatus, fuisset incarnatus, quod idem est ac dicere, Deum ante incarnationem incarnatum.

2. A sco.

2. *A scopo & sine propositionum personalium*: Diximus propositiones personales, non tantum ex unione oriri, sed etiam unionis mysterium explicare, & ex eo dijudicari; proinde usus harum propositionum præcipuus & principalis hic est, ut naturarum unio & communicatio per illas explicetur. In propositionibus autem, ubi totum personale subjicitur & prædicatur præcipue naturarum dualitas & integritas non verò unio demonstratur. Significantius igitur, & tutius unio non explicatur, quam si in his propositionibus una natura ac altera prædicetur in concreto. Sic enim & unitorum incolumitas clarissime exprimitur, & quid per unionem in uno ἐνοπιῶν facta sint, manifestè declaratur, *Deus sc. homo & homo Deus*. Cum enim dico, *Christus est homo*, nihil aliud dico, quam in Christo esse humanam naturam, idem judicatur de hoc Christus est Deus: sed quando dico *Deus est homo*, tum non tantum dico, quod humana natura sit in Deo, sed quod ipse Deus, illa ipsa persona cui unita est caro, sit homo & participet de humana natura. Similiter quando dico: *Homo est Deus*; non hoc tantum intelligitur, quod in illa personâ, in quâ subsistit caro, sit divina natura, sed quod ex ipsa natura assumpta sit in Deum, quod ἐμφοτηρῶτε ἐγὼ. Ita ergo sit sylloge. Quomodo significantius mysterium unionis exprimitur, eo modo propositiones personales intelligendæ & resolvendæ sunt. Atqui significantius mysterium unionis exprimitur, quando prædicatur concretum naturæ de concreto naturæ, ac si concretum personæ. E. ita intelligendæ & resolvendæ sunt, ut prædicetur concretum naturæ de concreto naturæ, non vero concretum personæ de concreto personæ.

3. *A μετενοια*: placet hoc Argumentum verbis Meisneri p. m. proponere, quæ ita habent: In tertio genere dicimus, quod homo Christus, vel quod caro Christi sit omnipotens, omnipresens. Per hominem autem non intelligitur ibi totum ὁ Θεὸς ὁ μὲν ἢ ὅλον ἢ τὸ ὅλον personale, quoniam sic foret prædicatio primi generis, sed tantum humanitas licet in concreto expressa, quoniam tertii generis subjectum sem-

M

per est

per est humana natura. Ex quo ita argumentor. Pro quo ponitur homo, cum dicitur omnipotens in tertio genere, pro eo etiam ponitur cum dicitur Deus. Quod enim Deus est, idem omnipotens est & vicissim. Atqui homo cum dicitur omnipotens in tertio genere non notat totum suppositum, sed tantum humanitatem assumptam. Communicatio enim Majestatis facta est non toti personae. E. etiam homo cum dicitur Deus pro toto supposito non ponitur.

Hæc de primi *ἐπιμαρ* & controversia dicta sunt. Alterum *ἐπιμαρ* hoc unico stabilimus fulcro. In quacunque prædicatione nullâ vox à propriâ & nativâ significatione immutatur, illa non est tropica vel figurata; sed in propositionibus personalibus, *Homo est Deus, & Deus est homo*, nulla vox à propriâ & nativâ significatione immutatur. E. propositiones personales non sunt tropicæ vel figuratæ. Major patet ex Definitione Tropi, quæ est *Tropus est immutatio vocis à propriâ significatione in aliam*, definiente Quintiliano l. 8. c. 6. Minor liquet. Deus enim hic significat naturam divinam propriâ personalitate subsistentem. Homo significat naturam humanam in hypostasim filii assumptam.

Succedit demum *quæsitum ultimum*, in quo de modo prædicandi quæritur, utrum sit usitatus an vero inusitatus. Utraque sententia habet gravissimos & clarissimos fautores & patronos, plausibilibus & acutis rationibus pugnantes, quas hic excutere nedum refutare nostrum non facimus, sufficiat, si utraque sententia suis argumentis & munimentis stipata recensatur, & lectoris iudicio relinquatur.

Qui inusitatum prædicandi modum amplectuntur, distinguunt inter *qualemcumque reductionem & plenariam convenientiam*. Referrî & reduci quodam modo posse has prædicationes ad modum prædicandi *paronymicum*, & cum eo analogicè convenire simpliciter non negant, plenariè tamen consentire, sibi non persuadent, urgent enim in multis dissensionem non levem esse, idque probat. I. *Ex vocabulis substantivis*; Prædicationes paronymicæ non vocabulis substantivis, sed adjectivis constât, sic di-

propria.

usitata.

sic dico, corpus est animatum; Homo est philosophus: In pro-
 positionibus verò personalibus prædicatum non tantum est
 adjectivum, sed substantivum, non tantum dico, *homo est divi-
 nus & deificatus, sed Deus; Deus non tantum est humanus, sed homo.*
 2. *Ex inusitato fundamento.* Unio enim, quæ est fundamentum
 mutæ subjecti & prædicati participationis, per & propter
 quam prædicatum de subjecto affirmatur, est inusitata, nullum
 in tota rerum naturam simile exemplum habens, non enim est
 essentialis, nec accidentalis, sed personalis. 3. *Ex incommodis locu-
 tionibus:* Deus enim incommodè dicitur *accidens prædicabile re-
 spectu hominis, nec homo commodè dicitur accidens respectu
 Dei:* Accidens enim prædicabile est *vel proprium vel commune;*
 Illud cõpetit multis speciebus, & potest abesse vel adesse absq;
 subjecti interitu, quod de homine assumto, & Deo incarnato
 nemo sic affirmabit: Hoc, licet uni speciei, multis tamen con-
 venit individuis, & essentialiter consecutivum est; Deus autem
 incarnatus, & Homo cum Deo unitus prædicantur, saltem de
 uno individuo, nec essentialiter se consequuntur. 4. *Ex dispa-
 ratis extremis,* quæ vocabulis substantivis affirmando de se præ-
 dicantur, quod in nullis aliis exemplis ostendi potest. Notan-
 dum a. ad naturarum disparationem obtinendam urgēt. 1. *desi-
 gnationem disparatorum hanc,* disparata sunt oppositæ species, quæ
 definitione differunt. 2. *naturarum in ipsâ unione illesionem:* na-
 turæ enim in ipsâ unione manserunt salvæ & illæsæ, & ut ante,
 sic in ipsâ unione verè disparatæ: Præcavēt verò, ut naturæ sunt
 verè *disparatæ, ita minime esse disseparatas, & suppositaliter distin-
 ctas,* sed arcto unionis vinculo copulatas; proinde distinguūt,
 tum *inter prædicationis materiale & formale:* Naturæ manent *di-
 stinctæ in ipsâ unione,* ergo etiam manent *disparatæ in prædicatio-
 ne,* sed quatenus de se invicem *in concreto* prædicantur, eatenus
 non sunt *disparatæ, sed arctissime per vinculum hypostaseos connexæ,*
 unde etiam non in abstracto, sed in concreto de se invicem præ-
 dicantur: tum *inter intellectum purè naturalem, & spiritus s. lumine
 illustratum.* Is æquè impossibile judicat, Deum de homine posse

affirmari ob disparata extrema, ac *leonem de cane*, hic verò propter unionis vinculum veram admittit talē propositionem: Hæc sunt *restrieta*, quæ prima sententia observanda moner, ne lædantur, si hæc propositiones ad denominativas & paronymicas per analogiam revocentur & reducantur.

Altera sententia præmittit distinctionem *inter modum prædicandi formalem & materialem*: De formali & generalissimo agitur in parte logices communi, estq; *affirmativus & negativus*: Negativus fluit ex doctrinâ oppositorum; Affirmativus ex doctrinâ prædicamentorum. Hic iterum dividitur in *Univocum & Paronymicum*; Univocus est illorum, *quæ & nomen & definitionem subjecto attribuunt*, & ita prædicantur Genus, Species & differentia. Paronymicus illorum est, *quæ orta ab uno aliquo varias terminationes habent, & subjectum denominant, in quibus nihil interest, sive sint accidentia sive substantia*. Atq; hi modi prædicandi ex primâ entium consideratione oriuntur, quâ entia primò menti obijciuntur & considerantur, vel ut sunt, vel ut insunt.

Modus prædicandi *materialem* specialior est, & ex particulatib. materiæ conditionibus fluit, quomodo nempe prædicatum, vel sit vel insit *contingenter & necessario*, & ita non simpliciter fundatur in esse & inesse, sed in modo *essendi & inessendi*, qui est vel necessarius vel contingens: Materialiter igitur prædicatio sumta est vel *necessaria* vel *contingens*, de quâ agitur in parte logices speciali, in doctrinâ demonstrationum & topicorum...

Personales igitur prædicationes respectu prædicandi modi materialis aliquid peculiare habere, & inusitatas dici posse concedunt, cum enim duplex hic sit modus; *Necessarius*, qui dicitur per se, & *Contingens*, qui dicitur per accidens, ad neutram referri possunt. Modus per se hic applicari non posse planum est, *non enim secundum primum, nec juxta secundum, nec juxta tertium vel quartum modum per se hæc prædicationes fiunt*. Nec ad modum prædicandi contingentem, sive per accidens commodè referuntur, cum ad nullam classem rerum, ex quibus
con-

contingentes prædicationes oriuntur, pertineant, sed dandus est modus planè singularis, nempe hypostaticus; de quo humana ratio & lingua, quatenus divinitus informata non est, nihil scit, nihil intelligit.

Respectu verò prædicandi modi formalis, cum sint affirmativæ, vel ad univocum, vel ad paronymicum seu denominativum referendæ erunt: prius ut inconueniens rejiciunt, & posteriori prædicandi modo, denominativo sc. easdem subjiciunt, cujus facti rationes afferunt sequentes, desumptæ 1. à *naturâ logicæ*; quæ est instrumentum omnium disciplinarum, & iccirco in primâ generali parte modum prædicandi generalissimum tradit, fundatum in primâ entium consideratione, quâ considerantur, vel ut sunt, vel ut insunt, quocumq; tandem modo. Si igitur hæc prædicationes ad nullum prædicandi modum generalem referantur, nec res hujus mysterii sub generali & primâ entium consideratione erunt, nec ullæ possunt de eis fieri prædicationes vel argumentationes juxta formales regulas logicas. 2. *ab unionis vinculo*; licet enim naturæ intellectui purè naturali objectæ, videantur disparatæ, intellectus tamen verbo divino informatus eas disparatas non esse videt, communi n. vinculo in unâ sc. personâ connexæ sunt, & de se invicem cum connotatione vinculi prædicantur. Quod igitur in alijs exëplis est subjectum, id hic est persona; sicut enim in vulgaribus, communibus & usitatis exemplis duo accidentia in uno subjecto uniuntur, quæ quidem in abstracto de se invicem prædicari non possunt, in concreto verò, nempe quatenus unitatem subjecti includunt, possunt; Ita etiam hic duæ naturæ in unâ communi hypostasi uniuntur, quæ etiam in abstracto de se invicem prædicari non possunt, in concreto autem possunt. 3. *Ex nominibus abstracti & concreti*: Hæc nomina propria sunt denominativorum, *abstractum est denominans, concretum denominativum*, qui termini denominativorum proprii has prædicationes denominativas arguunt, quoniam iis applicentur. 4. *Ex vulgatâ regulâ de prædicationibus denominativis usitatâ*, quod sc. quicquid

cum altero καὶ σὺν ἑαυτῷ unitur & communicatur, παρ' αὐ-
 τῶν de eo prædicetur, quæ regula in hoc mysterio adhibetur.

Ex his de utraq; sententiâ dictis facile perspicitur neu-
 tram esse hæreticam, sed utramq; ab orthodoxis statui. Illam
 tamen, quæ minus habet periculi, & simplicius verbo Dei ni-
 titur, amplectere; qui enim simplicissimè credit, optimè
 credit.

Antithesis: 1. In prædicationibus personalibus non con-
 cretum naturæ de cōcreto naturæ prædicatur, sed subjecti lo-
 co totum ὑφίσταμενον seu totum personale supponitur. 2. Præ-
 dicationes personales non sunt propriæ, sed tropicæ, in quo-
 rum subjecto est synechdoche integri pro membro, vel mem-
 bri pro integro. Cum aliàs præter opinionem prolixior facta
 sit disputatio, quam putarem; & antitheses hæc satis copiosè à
 Clarissimis & Excellentissimis viris jam protritæ sint, quorum
 labore gratâ mente uti possumus, remittimus lectorem ad E-
 xeg. LL. CC. Gerhard. p. 1291. §. 155. seqq. Meisn. part. 1. Phil. Sob.
 s. 1. c. 5. quæst. 9. seqq. pag. mihi. 274. part. 2. s. 2. c. 2. quæst. 7. pag.
 mihi 604. Schol. Acad. disput. 2. th. 46. seq. Jacob. Mart. par-
 tit. Theol. disp. 14. th. 56. seq. Colleg. tert. theor. Theol. disp. 7.

THESIS DECIMA.

*Ex unione personali oritur deniq; tanquam
 immediatus effectus, idiomatum cōmu-
 nicatio, quâ naturarum unitarum pro-
 prietates, manentes in suis, nativis & o-
 riginalibus subjectis, non verbaliter tã-
 tum, sed realiter quoq; sunt communica-
 te, ita ut propter naturarum arctissimã
 unionem, cōmunis sit priorũ possessio,
 usurpatio, & prædicatio utrisq; naturis.*

E'ξή-

Necessario in declaratione hujus thesisi præmittenda videtur terminorum ἐκθεσις, ut status controversiæ legitimè formari possit, omnes autem eorum ambiguitates non enarrabimus, quas, qui vult, legere potest apud Schrod. opusc. de communic. prop. Jacob. Mart. c. 2. 3. seqq. de eadem. Meisa. part. 1. Phil. Sob. l. 1. cap. 1. quæst. 2. pag. mihi 68. nos observamus hæc

1. Per propria in genere intelligimus *omne illud, quo in unitate personæ τὸ λόγος due naturæ, divina & humana, à se invicem distinguuntur.*
2. Non intelligimus igitur tantum propria ἐπιχρισίῳδῃ seu consequentia, sed etiam ὑποκρίῳδῃ constituentia, propria enim divinæ naturæ sunt ipsa divina essentia, & ab eâ realiter nō distinguuntur.
3. Multa occurrunt propria in humanâ Christi naturâ respectu divinæ naturæ, quæ aliâs propria non sunt, sic edere, bibere, dormire, ambulare propria humana natura strictè dicta non sunt, cum verò edere & bibere Deo nō competat respectu Deitatis, sed humanitatis, humanæ naturæ propria dicuntur.
4. Per propria non semper indigitantur δυνάμεις & actus primi, sed etiam ipsa ἐνέργεια & operatio, per quam idiomata sese exerunt: Hæc de termino idiomatis observasse sufficit.

Communicatio est vel κτ' ἀθέξιν, vel κτ' συνδύασιν. Communicatio κτ' ἀθέξιν est participatio essentialis, quâ unum de alterius definitione atq; essentiâ participat, & ita species generis, individuum speciei fit particeps, de quâ communicatione hic non agitur. Communicatio κτ' συνδύασιν seu associationem, vel unionem, quæ in specie communicatio vocatur, est, quâ due naturæ diversæ, in uno vinculo unite, sibi mutuò sua idiomata communicant. Et hæc est vel verbalis tantum, vel realis; Illa est, quâ subjecta solum nomina priorum habent communia, sic proprium partis in prædicatione per synechdochen juxta nudum nomen toti attribuitur propter illam partem, ut poculum dicitur humidum propter vinum in poculo prædicatione extrinsecâ & nominali, Ethiops dicitur niger propter cutem, albus propter dentes prædicatione extrinsecâ.

Rea-

Propria qd.

Communicatio

Realis
Realis, quæ propria hujus loci, est definiēte Schrödero d. l. th. 62. talis, quâ propter unionem id, quod unius est proprium, sine sui vel multiplicatione, vel transfusione, subiecto alteri ad communem possessionem, usurpationem & denominationē realiter confertur.

Notandum g. i. quando realiter idiomatica communicata dicimus, vocem *realiter*, *fictitia* & *verbali* communicationi opponimus. 2. Propria communicata è subiectis suis non emigrant, sed suis inhærentia subiectis, diverso *συνδεδυασμένα* subiecto fiunt communia, ut in thesi dicitur. 3. Tutissimum esse ducimus, non secundum rationis lubitum, pro omnium idiomaticum communicatione pugnare, sed revelatum verbum imitari, & ea quæ inibi communicata in genere ac specie revelantur, simplici fide credere.

Hiscæ prælibatis, duplicem in thesi comprehensam controversiam explicandam suscipimus. Prima est de quæstione, *an sit idiomaticum communicatio?* Altera, *an communicatio sit ipsum unionis formale, an verò ab eo differat?* Primam simpliciter asserimus, in alterâ posterius assumimus, & idiomaticum communicationem unionis effectum esse dicimus.

An sit.
Aff.
 Prius probamus i. Ex dictis Joh. i. 14. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à patre, plenum gratia & veritatis, i. Joh. i. 1. Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vite.* In his dictis visibilis habitatio verbi inter homines, quæ est proprietas humanæ naturæ, proponitur & describitur per visum, auditum, & manuum contrectationem, quæ omnia non nisi humanæ naturæ essentialiter cōvenire manifestum est. Hanc proprietatē verò Scriptura dictis allegatis nō Christo homini tribuit, sed verbo eterno, & gloriæ unigeniti filii. Videtur g. auditur, & manibus cōtrectatur verbum & ejus gloria, *vel per se, vel per communicationem.* Prius affirmari non potest. E. posterius, per communicationē sc. quæ facta est participatione proprii humanæ naturæ. Ita ergo argumētatur: Si naturæ divinæ carni unitæ carnis proprietates

tates attribuuntur, inter unitas naturas facta est priorum communicatio. Atqui naturæ divinæ carni unitæ, carnis proprietates attribuuntur. E. inter unitas naturas divinam sc. & humanam facta est priorum communicatio. Major sua luce radiat, si enim divinæ naturæ revera competant propria humanæ naturæ, sicut scriptura revera ipsi attribuit, quis communicationem negabit?

2. *Ex naturarum communicatione.* Hanc supra evicimus, plus autem est communicari naturas, quam propria naturarum, ut hæc concessa illa legitimè negari nequeat, cum indissolubili nexu cohercant naturæ & propria naturarum, imò divina natura, & ejus propria realiter non differunt, sed sunt τὰ αὐτὸ quid, qui nexus legitimam parit consequentiam h. m. communicatis naturis communicantur idiomata. Atqui divina & humana natura inter se communicantur. E. communicantur quoque eorum idiomata.

3. *Ex communicatione persone.* Et hanc naturæ humanæ communicatam supra evicimus, quam & ipsi adversarij communicatam negare non audent, ita ergò colligo. Cuicumque communicatur persona τὸ λόγῳ, illi communicatur proprium τὸ λόγῳ. Atqui humanæ Christi naturæ communicatur persona τὸ λόγῳ. E. humanæ Christi naturæ communicatur proprium τὸ λόγῳ. Major patet, quid enim λόγῳ magis potest esse proprium, quam ejus personalitas? Propter quam est individuum incommunicabile, & propter quam propria ejus sunt propria.

4. *Ab unionis conditione:* Decantatum est apud patres unionem λόγῳ, & carnis esse omnium arctissimam & perfectissimam, qualis in tota rerum natura non invenitur similis. Rectissime igitur dicimus. Quæcumque unio est perfectissima & arctissima, illa non est absque idiomatum communicatione: unio λόγῳ, & carnis est perfectissima & arctissima: Ergo unio λόγῳ & carnis non est absque idiomatum communicatione. Major certa est. Si enim unionem minus arctam consequitur idiomatum communicatio, quanto magis arctiorem

N

si ani,

si animæ & corporis unio, ferri item & ignis, non est absque
 communicatione, quanto minus unio λόγος & carnis, quæ to-
 to genere perfectior est: si nos ob inhabitationem Spiritus S.
 in nobis gratiosam, efficiamur θεϊαὶ κοινωνοὶ φύσεως, 1. Pet. 1. 4.
 & κοινωνία τῆς αἰγίης πνεύματος & sit nobiscum 2. Cor. 13. 13. quā-
 to magis CHRISTUS, in quo tota plenitudo divinitatis ha-
 bitat?

An effectum?
 unionis. A.

Hæc de generali communicatione, plura in speciali con-
 sideratione: Altera controversia, quâ asserimus idiomatum
 communicationē differre ab unionis formali, stabilitur præ-
 missâ observatione hac, quod cum nostratum quidam unio-
 nem dicunt communicationem, non describant rem à formâ
 & differentiâ specificâ, sed à consequente & effectū, cujus co-
 gnitione sæpius in notitiam antecedentis & causæ perveni-
 mus, præsertim in ijs rebus, ubi differentia specifica latet. Pro-
 priè verò & accuratè considerata unio, differt à cōmunica-
 tione, ut prius & posterius (non tempore sed ordine) ut antecedens &
 consequens, id quod patet 1. Ex communicationis causa; ubicunq;
 est communicatio (talem intellige, qualis hujus loci est,) ibi
 præcedit unio: anima corpori, ignis ferro proprietates suas nō
 communicat, nisi unio præcedat, quæ est causa, ex quâ idioma-
 tum communicatio provenit: itaq; causa uno eodemq; modo
 non est effectum. Unio est causa, communicatio est Effectum;
 E. unio non est communicatio. Itē causa & effectum differunt
 ut prius & posterius: unio & communicatio differunt ut cau-
 sa & effectum: E. differunt, ut prius & posterius.

2. Ex unionis reciprocatione: Unio enim in Scripturâ reci-
 procè describitur, ut Deus factus est caro, & caro Deus: quæ reci-
 procatio in communicatione locum semper non habet. Di-
 vina enim natura communicat carni suas perfectiones, caro
 verò λόγος suas imperfectiones non communicat: Caro est o-
 mnipræfens, sed Deitas non patitur, unde argumentum: Unio
 inter naturas est reciproca; communicatio idiomatum non
 est reciproca. E. communicatio idiomatum non est ipsa unio:

Fal-

Fallit ergo Bellarminus & Gregorius de Valentia, quando nobis tribuunt sententiam hanc, quasi statueremus, communicationem esse ipsam unionem: quibus frustra suum addunt calculum quidam ex Calvinianis, eo ipso religionis suæ socios accusantes, ita enim scribit Sadeel. de V.H.N.p. mihi 150. Ita ex verbo Dei statuendum est, in personâ Christi naturam divinam τὸ λόγος & ipsius nature proprietates communicare, sive κοινωνεῖν humanæ nature (verbo communicandi intransitivè accepto) hoc est arctissimè & personaliter uniri cum humanâ naturâ, quam ipse λόγος assumpsit. Et hæc est vera & realis proprietatum communicatio sive communio quam scriptura tradit, quam veteres agnoverunt, & quam orthodoxi omnes piè & religiosè amplectuntur. Et Pezelius in sua demonstratione p. 9. scribit: Communicatio est ipsa unio. Videant ergo hi fratres quomodo inter se tranfigant.

Antithesis. Unionem personalem non insequitur realis idiomatum communicatio talis, quâ divina natura possideat, & usurpetur humana idiomata, & contra, sed talis, quâ naturæ cum suis proprietatibus sunt unitæ, & communicatio idem est ac unio, quando igitur divina de homine, & humana de Deo enunciantur in subjecto tota persona intelligitur, ab alterutrâ naturâ in concreto denominata, cui personæ prædicatum attribuitur secundum illam naturam cui naturaliter inest.

Gaudent hac antithesi & Pontificij & Calviniani. Bellarminus l. 3. cap. 10. de Christo titulum fecit: *Ex unione hypostaticâ non fluxisse communicationem idiomatum realem respectu naturarum*: cap. 9. Sententiam Catholicorum hanc esse dicit. *Ex unione hypostaticâ sequitur communicatio idiomatum, que quidem communicatio non est realis respectu ipsarum naturarum, quasi ipsa divinitas facta sit passibilis, & humanitas sit facta realiter omnipotens, ut volunt Lutherani, neque est planè verbalis, ut vult Beza &c. Sed est realis quidem respectu hypostasis utriusque nature, non autem respectu ipsarum naturarum &c.* Becanus Theol. schol.

art. 150



part. 3. tract. 1. cap. 7. quæst. 1. & 3. licet præmissis distinctionibus quibusdam lectorē seducere satagat; nostram tamen sententiā ex professo oppugnat, & communicationem idiomatum esse statuit, quando attributa utriusq; naturæ prædicantur de eadem personā in concreto. Danæus Exam. lib. Chem. p. mihi 304. *Diximus quod verissimum est, eam solam κοινωvία appellari κοινωvία idιωματων, ubi non res ulla, vel qualitates, vel dona ab unā naturā in alteram realiter dantur vel communicantur, sed tantum appellationes & nomina, & quidem in voce concretā.* Confer Sadelem de V.H.N. p. mihi 149. seqq. Beza in Colloq. Mompelg. in Respons. ad th. de persona Christi ad thes. 5. 6. 7. &c. & Volum. 1. op. Theol. p. 540.

Argumentorum eorum sunt hæc potissima, 1. communis idiomatis tollitur naturarum distinctio, & introducitur earum confusio: quod *Eutybianum*: 2. communicata propria non manent propria, sed fiunt communia quod ἀντιφατικόν 3. communicato uno idiomate communicantur omnia: quod *absurdum* patet ex *simplicitate, aternitate, & independentiā*, quæ non communicantur.

13. Respondeo. Priora duo argumenta laborant fallaciā consequentis, ut ex formatione status videre est, communicatio enim ita fit, ut qualibet natura suas proprietates retineat salvas, nec communicatum proprium statim commune fit, præterquam enim quod aliud est esse commune, aliud esse communicatum. Proprium in suo nativo subjecto manet, nec ex illo in aliud emigrat, ut huic primariò & per se competat. Posterius diluitur tritā distinctione inter idiomata ἐνεργητικὰ & ἀνεργητικὰ, & inter idiomatum κτησιν & χησιν. Ἐνεργητικὰ secundum κτησιν & χησιν communicantur. ἀνεργητικὰ vero secundum κτησιν, non vero χησιν, ut alibi fusius docetur.

Præterire autem non possum, quin moneamus, adversarios leges disputationis mirifice transgredi, cum enim in stabilienda thesi operam collocare, & hanc thesin. Ergo communicatio idiomatum nihil aliud est quam modus prædicandi, quo

quo propter naturarum unionem in una persona, de persona aliquid predicatur secundum eam naturam, cui predicatum naturaliter inest; firmis rationibus munire deberent, nihil minus faciunt, sed in hoc toti sunt, ut nostram sententiam oppugnent & evertant: Et si rationes demum producant, quibus nostram sententiam labefactari putant, illae vel desumptae sunt ex natura, quae tamen nos non ferunt, cum non communicationem in naturarum serie contentam defendamus, sed supernaturalem & toti naturae incognitam; vel laborant elencho consequentis, ut vidimus; vel a statu controversiae aberrant, & de tali communicatione concludunt, qualis nostratibus nunquam in mentem venerit.

THESIS UNDECIMA.

Communicatio idiomatum distinctioris doctrinae gratia in certa quaedam genera dispartitur, quae communiter tria enumerantur, quorum primum describitur, quod sit, quando propria naturarum predicantur de Christo, sive a natura humana, sive a divina; sive ab utraque denominato, divina quidem propter Deitatem; humana propter humanitatem.

Εξήγησις.

Quod in aliis doctrinae capitibus antiquis patribus evenit, ut propter adversariorum κρησφύγετα, qui juxta Irenaeum ομοια μὴ λαλῶσιν, ἀνόμοια δὲ φερονούσιν, subinde nova ad clariora verba & vocabula adhibere, & accuratiori studio ad subdolas eorum locutiones animum advertere necesse habuerint, ex quo nomen personae, ὁμοσίας, Trinitatis &c. ortum habet;

N 3

idem



idem etiam nostri seculi Theologis usu venit, in hac de communicatione idiomatum doctrinâ, cum enim adversarii linguam orthodoxam simularent, mentem verò heterodoxam occultarent, accuratius in hanc doctrinam investigare coacti sunt, ut adversarios è latibulis protraherent. In rem ergo studiosè inquirentes, distinctas esse scripturæ locutiones de communicatione idiomatū animadvertenterunt, quas in certas quasdam classes dispescuerunt, sive verò has distinctas locutionū classes nominare lubeat *modos*, sive *species*, sive *genera*, sive *ordines*, id veritati nihil derogat, rem ipsam, legitimè sc. harum locutionum distributionem institui, probamus. 1. *Ex unionis conditione*. Cum enim post factam unionem duæ naturæ non seorsim existant, sed una facta sit persona $\sigma\acute{\upsilon}\nu\theta\epsilon\tau\omicron\varsigma$, fit, ut illa persona agat, interdum secundum alterutrius naturæ proprietatem, quæ de tota persona prædicatur; interdum secundum utriusq; naturæ proprietatem, quæ ad unū $\lambda\acute{\upsilon}\pi\omicron\tau\acute{\epsilon}\lambda\epsilon\sigma\mu\alpha$ concurrunt, unde oritur talis prædicatio, quâ operatio toti personæ, non secundum alterutrius, sed utriusq; naturæ proprietatem operanti, attribuitur. Nec humana natura in nudo naturali statu relicta est, sed uncta ultra consortes suas, & in eminentissimum statum elevata est, hinc oritur alia locutionum classis, quæ continet eas propositiones in quibus divina $\acute{\alpha}\omega\chi\acute{\eta}\mu\alpha\tau\alpha$ carni in abstracto attribuantur. Ita colligimus: Datis distinctis communicationis idiomatum modis, ex ipsâ unionem fluentibus, legitimè communicatio idiomatum in distinctos modos sive genera dispescitur. At verum est prius, E. etiam posterius.

2. *Ex subjecti & prædicati diversitate*. Illud in scripturâ aliquando est tota persona, ut *Deus est passus*. *Filius hominis est in cælis*, *Christus est ante Abrahamum*: aliquando natura in abstracto, ut *humana natura est omnipotens*. *Caro est vivifica*. Hoc vel est alterutrius naturæ proprietas de totâ persona; vel utriusque simul in uno $\lambda\acute{\upsilon}\pi\omicron\tau\acute{\epsilon}\lambda\epsilon\sigma\mu\alpha\tau\iota$; vel divina tantum de humanâ naturâ in abstracto: Ex quâ diversitate rectissimè disti-

De distinctione

1.

2.

mobi

stinctio in genera diversa colligitur. Datis enim diversis præ-
dicationum modis, legitima etiam datur modorum distin-
ctio: Atqui dantur diversi prædicationum modi. E. etiam legi-
tima modorum distinctio.

3. *Ex ipsius communicationis diversitate:* Communicatio e-
nim non semper uno & eodem modo se haber, aliquando e-
nim est *reciproca*, ut in primo genere, aliquando verò non est
reciproca, ut in 2. & 3. genere: unde argumentum: ubi ipsa res
distinguitur, ibi etiam legitimè distinctio adhibetur. Atqui
in communicatione idiomatum ipsa res distinguitur, Er-
go in communicatione idiomatum legitimè distinctio ad-
hibetur.

Ipsâ jam distinctione in diversa genera evictâ, de nume-
ro generum controversia movetur: quidam *Quatuor*, qui-
dam vero *tria* statuunt genera: Qui quatuor statuunt, distin-
guunt propositiones in quibus proprietas humanæ naturæ fi-
lio Dei attribuitur ab illis in quibus alterutrius naturæ pro-
prietas toti personæ attribuitur, & ita cum reliquis duobus
generibus, quatuor faciunt genera: quorum sententia argu-
mentis non omninò invalidis munita, quæ legi possunt apud
Gerhard. Exeg. LL. CC. p. 1322. §. 184. simpliciter improbanda
non est: Verum cum libri nostri symbolici, ut formula con-
cordiæ, & plerique alii communiter tria statuunt genera, nos
horum vestigia secuti, his tribus generibus, ad quæ omnia, quæ
de communicatione idiomatum dicenda erunt, commodè re-
ferri possunt, contenti sumus, diversitatem tamen quæ occur-
rit, sicco pede non transaturi.

Primum genus in thesi descripsimus, cujus descriptionis ἐ-
ξηγήσει præmittimus appellationes seu nomina hujus gene-
ris, vocatur autem hoc genus Ἀλλοίωσις, Ἀντίδοσις, Alternatio,
& attributio, ἐναλλαγή καὶ κοινωμία ὀνομάτων, *communicatio &*
communio nominum, Ἰπίζευσις ὀνομάτων *conjunctio nominum*, δι-
κείωσις καὶ ἰδιοποίησις *familiaritas & proprietas*, quæ duo po-
strema propriè illas prædicationes respiciunt, in quibus hu-
manæ

quod genera?
an 4?
ἰδιοποίησις.

Primum.



manæ naturæ proprietas filio Dei attribuitur. Cum enim Deus in suâ essentiâ pati non possit, sed in carne, ita tamen Deus sibi passionem appropriat, ut non nudi hominis, sed Dei sit passio.

In descriptionis ἐξηγήσει hæc observanda sunt. 1. Propositionum hujus generis *subjectum & predicatum*. 2. *Communicatio ipsa*. 3. *Particula distinctiva*. De primo diximus in thesi quod subjectum semper sit tota persona ab alterutrâ vel utrâque naturâ denominata, prædicatû verò alterutrius naturæ proprietas. Pro varietate igitur denominationis subjecti & prædicati, sequentes propositiones in hoc genere occurrunt: 1. cum idioma divinum prædicatur de Christo θεῶν ὄντων, ut Matth. 28. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*. 2. Cum idioma humanum prædicatur de Christo θεῶν ὄντων, ut Luc. 2. 11. *Christus natus est ex Maria Virgine*. 3. Cum idioma divinum prædicatur de Christo Deo Johan. 5. 19. *quæ pater facit eadem & filius facit*. 4. Cum idioma divinum prædicatur de Christo homine. Matth. 9. 2. *Filius hominis remittit peccata*. 5. Cum idioma humanum prædicatur de Christo Deo, ut 1. Cor. 2. 8. *Dominus gloriae est crucifixus*. 6. Cum idioma humanum prædicatur de Christo homine, ut Matth. 20. 18. *Filius hominis crucifigetur*.

Notandum verò, quando prædicatum attribuitur personæ ab eâ natura denominatæ, cui originaliter & per se inest, nihilominus esse communicationem idiomatum, semper enim in hoc genere tota persona intelligitur, & à quacunq; naturâ subjectum denominatur, nunquã excluditur altera natura à participatione subjecti, à quâ subjectû non denominatum est, E.g. quando dico: *Deus est passus*, utraq; natura respicitur, nam divina natura, à qua denominatû est subjectû, à participatione prædicari excludi nō potest; nec humana nãa excluditur, Deus n. patitur carne, & sic tota persona intelligitur, utraq; naturâ constans. Quando autem dico, *Filius hominis est passus*, æquè tota per-

scdm. & predicat.

1

2

3

4

5

6

persona intelligitur, licet enim subiectum denominetur ab illa natura, cui prædicatum per se inest, non tamen excluditur altera natura. Filius enim hominis est etiam filius Dei, perinde igitur est quando dico, *filius hominis patitur*, ac si dico *filius Dei patitur*, est enim unus filius. Et quid magis sibi Nestorius voluisset, si in hac propositione, *filius hominis patitur*, non sit idiomatum communicatio, filium enim hominis passum libenter concedebat, ut ex decantato illo notum est, *noli gloriari, judae; non Deum sed hominem crucifixisti*; filium verò Dei passum esse, cum pateretur filius hominis, nequaquam concedebat, & licet simularet orthodoxiam, ingeminans, *aufer omnem suspicionem dualitatis & filiorum*, rectè tamen Lutherus dixit: *ad divisionem operum succedit divisio personæ*, unde facile videre est, quid de illis statuendum sit, qui has propositiones *filius hominis edit, bibit, dormit, patitur sine communicatione idiomatum* efferri asserunt.

Cùm verò dici requirat inesse, secundum canonem logicum, & subiectum particeps esse debeat prædicati, de secundo, de modo sc. participationis seu communicationis, despiciendum est, utrumne naturæ, à quibus denominatur subiectum, participant de naturâ prædicati? quæ quæstio maximè in *ιδιοποιήσεως* explanatione videtur necessaria. Nos dicimus: *λόγος & carni personaliter unitus, carnis idiomata & παθήματα sibi ita appropriavit, ut natura divina ab horum possessione & participatione non possit secludi, sed mediante humanâ naturâ sibi personaliter unitâ, de carnis nativitate, passione, & morte verè & realiter per communicationem & ιδιοποίησιν participet*. Hanc thesin probamus.

1. Ex propositionibus ad *ιδιοποίησιν* propriè spectantibus: Tales sunt propositiones in quibus de concreto divinæ naturæ prædicatur proprietas humanæ naturæ, ut *autor vitæ est interfessus*, Act. 3. 15. *Dominus gloria crucifixus*, 1. Cor. 2. 8. Ex tritâ igitur regulâ, *subiectum participat de naturâ prædicati*, talem consequentiam elicimus: A quacunque naturâ subiectum denominatum est, illa etiam participat de prædicato: Atqui à divinâ natura

2.
Modus Communic

NB. Communicationem.

naturâ subjectum denominatum est; Ergo etiam divina natura participat de prædicato, quod erat passio & mors.

2. *Ex naturarum communicatione*: Hanc supra demonstravimus: *Quàm verè autem Deus est homo*, dicit, Mentzerus Exeg. A. C. p. 109. *tam verè de Deo prædicatur quicquid humanum est*: Et vicissim, *quàm verè hic homo est Deus seu filius Dei, tam verè de hoc homine prædicatur quicquid divinum & filio Dei proprium est*. Ita ergo argumentamur: Cui unita seu communicata est humana natura, illi etiam communicatur proprium humanæ naturæ: Atqui divinæ naturæ unita seu communicata est humana natura, E. divinæ naturæ communicatur etiam proprium humanæ naturæ. Hinc est, quod *Deus dicatur proprio sanguine redemisse ecclesiam*, Act. 20. 28. si propriū sanguinem effudit, etiam propriè crucifixus est.

3. *à subjecti conditione*, quæ est personæ *ἁπλοῦς*; subjectum enim in hoc genere est *tota persona*, quæ utrâq; naturâ constat; Ita concludimus: *Patiente Christo tota ipsius persona patitur*: Atqui sola humana natura non est tota Christi persona; E. *patiente Christo non sola ejus humana natura patitur*. Si forsân adversarii argumentum concedant, & dicant, non solam naturam in abstracto, sed in concreto, hoc est, humanam naturam subsistentem seu hominem pati, urgemus 1. *neg, humana natura subsistens est tota Christi persona*. 2. Si natura humana subsistens patitur, subsistentia naturæ à passione excludi nec debet, nec potest, quæ tamen divina est, nec à divinâ naturâ differit. Ita ergo premimus adversarios: *Patiente totâ Christi personâ, utraq; natura patitur*: *Patiente Christo tota ejus persona patitur*, E. *patiente Christo utraq; ejus natura patitur*. It. *Patiente personâ λόγος, divina natura passionis non manet expers*: Atqui *patiente Christo, persona λόγος patitur*, E. *patiente Christo divina ejus natura non manet passionis expers*.

Possent addi quartum argumentum *ab efficaciâ passionis & mortis Christi* desumptum, sed id ad secundum genus reservamus:

mus:

mus; Et sic divinam naturam infirmitatum carnis participem fieri satis demonstrarum; si igitur de modo, communicationis quis sollicitus fuerit, quomodo Deus pati possit, cum sit impassibilis, quamquam iniquum sit de Deo modum quærere; dicimus tamen, modum esse personalem, sicut unio est personalis, propter personæ enim *ἡ ὑπόστασις* tribuitur prædicatum, subjecto ab alterutrâ vel utraq; naturâ denominato, ita ut uni naturæ competat essentialiter, alteri personaliter; *actiones enim sunt suppositorum*, quæ non naturis, sed suppositis attribuuntur. Nec reiicienda est distinctio in hoc genere inter *subjectum quod & subjectum quò*; Illud est tota persona; Hæc altera natura, cui proprietas per se inest; sic Christus est subjectum quod passionis, caro verò est subjectum quò, quemadmodum totus homo est subjectum quod rationationis, anima verò est subjectum quò.

Ex his quoq; perspicuum est, non rectè in hoc genere adhiberi prædicationes abstractivas, *Deitas est passa, &c.*: licet enim iis quidam usi sunt, additâ particulâ distinctivâ, *Deitas est passa sed carne*, non tamen *ἐναπορίον* (alia inconvenientia non recensebo, quæ legat, qui vult, apud Gerh. Exeg. LL. CC. p. 1350. §. 198.) seu vinculum quo unitæ iunt naturæ, & in quo communicatio hujus generis fundatur, non exprimitur, quod tamen necessarium est, *non enim Deitas, sed Deus est nomen personæ*, quod in hoc genere subijci debet.

De particulis deniq; , quas tertio observandas diximus, sciendum, eas non esse *χωριστικὰς segregativas*, sed *διακριτικὰς distinctivas*: Non enim separant & segregant naturas, nec eam naturam, cui prædicatum per se non inest, à participatione prædicati excludunt, sed distinguunt naturarum propria, & eam naturam exprimunt, cui proprietas illa inest, cujus beneficio prædicatum toti personæ attribuitur, ne prædicatum simul utriusq; naturæ proprietas putetur, & sic naturæ confundantur. Tales particule occurrunt in scripturâ (1.) *κτ* Act. 2. 30. Rom. 11. 3. c. 9. 5. (2.) *εἰ* 1. Pet. 4. 1. c. 3. 18. Eph. 2. 14. (3.) *ἐξ* 2. Cor. 13. 4. (4.) *διὰ* Heb. 10. 20. (5.) *ὅτι* Joh. 5. 25.

3.
Particula.)

Antithesis: Quando alterutrius naturæ proprietates de personâ prædicatur, non intelligitur utraq; natura, sed illa tantum cui proprietates naturaliter inest, alterâ nihil de prædicato participante, nisi verbaliter & nominatenus; Et licet per ἀλλοίωσιν interdum subjectum ab eâ naturâ, cui prædicatum per se non inest, denominetur, tamen hæc saltem verbalis communicatio est, & prædicatum non nisi ei naturæ attribuitur, cui per se competit: Ita docent Calviniani: Danaus Exam: lib. Chemn. p. mihi 321. *Nulla modo ipsa λόγῳ Deitas, carne ejus patiente, passa est. It: Passio ipsa Christi non nisi dialecticâ prædicatione Deo, (quatenus divinam ejus naturam hæc vox Deus significat) attribuitur, absq; ullâ reali communicatione. Admon. Neostad. p. 250. Deus passus mortuus est realiter, quatenus homo est, sed nominatenus quatenus Deus est, p. 70. prædicatio humanorum de Deo, & divinorum de homine ad naturas tantum est verbalis.*

Fundamenta adversariorum desumuntur ex Dei impassibilitate & particulis distinctivis, quas putant esse determinantes subjectum, & segregantes prædicatum ab alterâ naturâ, cui non inest per se: sed harum particularum legitimum usum in hoc genere perpendens ex modò dictis, & distinctionem inter actum naturalem & personalem observans, infirmitatem & fragilitatem fundamentorum facile videbit.

THESIS DUODECIMA.

Secundum genus communicationis idiomatum est vera ac realis operationum utriusq; naturæ participatio & communicatio, in quibus operationibus juxta concilium Chalcedonense, utraq; natura cum communicatione alterius agit id, quod cuiusq; proprium est, ad unum ἀποτέλεσμα officij Christi producendum.

Ἐξή

Autoritatem libri Christianæ concordia sequentes, eju-
demq; vestigiis insistentes, hoc, quod alii *natura & facilioris do-*
ctrinae methodum attendentes, *tertium* demum communicatio-
nis genus faciunt, nos *secundo loco* posuimus; quæ *libera metho-*
di ratio, nec rerum, nec animorum discrepantium seu dissonan-
tiam infert. Appellatur autem hoc genus *κοινοποίησις*, *κοινοποίη-*
σις, à Damasceno *ἡ ἐπιφρασις* *circumscriptio* indigitatur; quia
operationes utriusq; naturæ unâ locutione efferuntur: Dicitur
quoque *ἐνεργειῶν κοιωνία* *operationum communicatio*, quo no-
mine propriè natura hujus generis indicatur; non enim in hoc
genere tam *ιδιωμάτων* & proprietatum, quam earum *ἐνεργειῶν*
communicatio attenditur.

In explanatione descriptionis in thesi propositæ hæc duo
observamus. 1. *subjectum & predicatum*. 2. *communicationis mo-*
dum. Particulæ enim distinctivæ in hoc genere manifestò
non occurrunt, sed in descriptione operum officii Christi in-
volvuntur, ex quâ evolvendæ sunt, & ad distinctionem natura-
rum adhibendæ: Sic morte Christi reconciliamur patri; mori
est proprietates humanæ naturæ; reconciliari patri, est proprie-
tates divinæ naturæ, quæ diversæ proprietates in descriptione
ἀποτελέσματα involutæ, evolvendæ sunt, & diversis naturis
vindicanæ.

Subjectum hujus generis est tota persona utrâq; naturâ con-
stans; *predicatum* verò sunt opera officij Christi, (quo & miracu-
la referuntur) Unde statim elucescit discrimen hujus & primi
generis: In primo enim subjectum est etiam tota persona, sed
predicatum unius saltem naturæ proprietates, quæ per particulam
distinctivam vindicatur ei naturæ, cui per se inest. In hoc vero
genere *predicatum* est *ἀποτελέσματα* utriq; naturæ attributum;
utraq; enim agit cum communicatione alterius. Omnes igitur
predicationes, in quibus operatio officij Christi de personâ e-
jus *predicatur*, ad hoc genus referendæ sunt, quales sunt in-

Secundum

Subjectum etc.

Icripturâ, 1. Cor. 15. 3. *Christus mortuus est pro peccatis nostris*, Gal.
 1. 4. *Christus dedit seipsum pro peccatis nostris*, Eph. 5. 2. *Christus di-*
lexit nos, & dedit seipsum pro nobis hostiam & oblationem Deo, Ef.
 53. 5. *Livore ejus sanati sumus*, Rom. 5. 9. *Justificati sumus in san-*
guine ejus, Act. 20. 28. *Deus sanguine suo redemit ecclesiam*, 1. Pet. 1. 18.
Redempti estis pretioso sanguine, Heb. 2. 14. *Christus per mortem de-*
struxit eum, qui habebat mortis imperium, & c.

De altero maximum est litigium, utramq; enim naturam
 agere quod cujusque proprium est, ipsi adversarii concedunt,
 sed verba illa emphatica cōcilii, cū cōmunicatione alterius, sudes
 sunt, in oculis eorum. Dicimus itaq; , quod in producendis
 ἀποτελέσμασι ad officium Christi pertinentibus, naturæ non
 tantum naturales suas ἐνεργείας exerant, & quod sibi propriū
 est agant, sed etiam unaquælibet de propriâ suâ ἐνεργεία com-
 municet alteri naturæ, ita ut divina actiones humanæ naturæ
 proprias sibi appropriet, & humanæ naturæ sibi proprias a-
 ctiones rursus communicet.

Antequam hanc assertionem probemus, præmittendum
 est ex Damasc. l. 3. c. 15. discrimen, quod differant ἐνεργῶν, ἐνε-
 ργητικόν, ἐνεργεία, ἐνεργήματα καὶ ἀποτελέσματα; his enim non ri-
 tē distinctis, in cōmunicatione hujus generis facile luditur.
 Est igitur ἐνεργῶν totum suppositum seu persona agens & producens
 ἀποτελέσματα, Scholastici vocant *subjectum quod*, cui actiones
 propriè competunt, secundum illud, *actiones sunt suppositorum*:
 ἐνεργητικόν est ipsius actionis principium agens, seu forma illa, à quâ
 actionis facultas dependet; hoc Scholastici vocant *subjectum quò*,
 estq; in præsentī negotio natura vel divina vel humana, cum suis
 proprietatibus, ἐνεργεία est tum operandi facultas, tum ipsa opera-
 tio, sive motio, sive actio, quæ proficiscitur ex ipsâ naturâ, sive pro-
 prietate naturali, in quâ est facultas sive vis operandi vel agen-
 di, ἐνεργήματα est τῆς ἐνεργείας cujusq; natura effectum proprium,
 ἀποτελέσματα deniq; est commune effectum ex utriusq; naturæ ἐνε-
 ργεία καὶ ἐνεργήματα ἢ promanans, quod Damascenus θεανδρικὴν
 ἐνεργείαν actionem Dei virilem vocat. ἐνεργήματα autem ἀποτε-
 λέσματι

λέσματα non differt, nisi quod in illo respectus fiat ad effectum ἐνεργείας quatenus utriq; proprium; in hoc vero, quatenus utriq; naturæ commune est. E g. ἀποτέλεσμα proponitur i. Joh. N3.
 1. 7. sanguis Jesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato. In hoc ἀποτέλεσμα ἐνεργῶν seu subjectum quod, est eorum suppositum Christi: ἐνεργήτικόν est utraq; natura, divina quæ est principium emundationis à peccato; humana, quæ est principium effusionis sanguinis: ἐνεργεία facultas & operatio est natura, tum divine, vim & efficaciam sanguinis effusioni addens; tum humanæ, sanguinem effundens: ἐνέργημα seu effectum ἐνεργείας humanæ naturæ proprium est effusio sanguinis; divinæ naturæ proprium est emundatio à peccatis: Ex utriusq; ἐνεργήματα & conjunctione oritur demum hoc ἀποτέλεσμα, quod sanguinis effusio emundet à peccatis.

Ex his nunc perspicuum est, in quibus cardo controversiæ versetur, non tam in eo, an utraq; natura in unâ personâ unū quoddam ἀποτέλεσμα producat? sed in eo, quod in assertione nostrâ diximus, quod una qualibet natura de propriâ suâ ἐνεργεία, communicet alteri naturæ, & sic utraque natura communi ἐνεργεία unum ἀποτέλεσμα producat, in quo adversarii in dissentientem à nobis abeunt sententiam, negativam exosculantes, nos affirmativam tenemus, fulti sequentibus rationibus desumptis.

i. Ex communicatione ἐνεργειῶν divine naturæ factâ; Modo quædam dicta hujus generis enarravimus, ex quibus hoc loco ea perpendi volumus, in quibus Deus per proprietatē humane naturæ operari & agere dicitur, ut Deus sanguine acquisivit ecclesiā, reconciliari per mortem filij Dei, Deus per mortem destruxit eum, qui habebat mortis imperium, &c. ἐνεργεία humanæ naturæ est sanguinem effundere & mori, quæ filio Dei attribuitur, ex quâ ἐνεργεία oritur ipsum ἐνέργημα, quod est mors & sanguinis effusio, ἀποτέλεσμα deinde fit, quando ἐνέργημα divinum accedit, & filius Dei morti suæ virtutem & efficaciam largitur, ut mors sua fiat salutaris toti mundo, & per eam reconciliatio generis humani.

Ita.

Ita argumentamur. Quicquid Deus efficit ut fundens sanguinem & moriens, id per communicationem ἐνεργείας humanæ naturæ efficit: Atqui ἄποτέλεσμα quoddam officii efficit ut fundens sanguinem & moriens: E. ἄποτέλεσμα quoddam officii per communicationem ἐνεργείας humanæ naturæ efficit. Vel ita: Deus fundens sanguinem, & moriens, per communicationem ἐνεργείας operatur: Atqui in ἄποτέλεσµασι producendis, Deus fundit sanguinem & moritur; E. in ἄποτέλεσµασι producendis Deus per communicationem ἐνεργείας operatur. Major utriusq; argumenti fundatur in primo communicationis genere, non enim nisi per communicationem propriorum ἰδιώµατα humanæ naturæ Deo attribuuntur, E. nec ἰδιώµατων ἐνεργεῖαι.

2. Ex communicatione ἐνεργειῶν humanæ nature factâ; Ut in præcedenti argumento ἐνεργεῖαι humanæ naturæ filio Dei attribuuntur, ita vicissim ἐνεργεῖαι divinæ naturæ humanis operibus assignantur; *Livore enim Christi sanamur; sanguine ejus redimitur ecclesia; sanguis ejus emundat à peccatis.* Argumentum ita informamus: Cuicumq; attribuitur ἐνεργηµα divinum, illi etiam divina ἐνεργεῖα competit: Atqui operationi humanæ Christi naturæ divinum ἐνεργηµα attribuitur. E. operationi humanæ Christi naturæ divina ἐνεργεῖα competit. Major per se constat; ἐνεργηµα enim præsupponit ἐνεργεῖαν, effectus causam. Minor ex dictis liquet, *sanare enim & redimere sunt ἐνεργηµατα* divina, quæ tamen *livori & sanguini Christi* attribuuntur, E. etiam perstat conclusio, operationi humanæ Christi naturæ competere ἐνεργεῖαν divinam, quod non est per se; E. per communicationem.

3. Ex ipsis ἄποτέλεσµασι; In his utraq; natura simul suam ἐνεργεῖαν exerit, hinc scriptura unum idemq; ἄποτέλεσµα modò secundum divinam, modò secundum humanam naturam, Christo attribuit; ut *reconciliati sumus Deo per mortem filij ejus, Rom. 5. 10. & Christus homo reconciliavit nos in corpore carnis ejus, Col. 1. 22. semen mulieris conterit caput serpentis. Gen. 3. 15. & filius Dei*

Dei opera Diaboli dissolvit, i. Joh. 3. 8. & destruit eum, qui habet mor-
 tis imperium, id est Diabolum, Heb. 2. 14. Hæc alternatio utramq;
 naturam unam operatione, & ἐνεργείαις communicatis ad ta-
 le ἐνέργημα concurrere, manifestum signum est, ut, sive divi-
 nam, sive humanam naturam exprimas, æqualis tamen sit o-
 peratio, illius cum communicatione humanæ; hujus cum
 communicatione divinæ ἐνεργείας. Unde argumentū: omne
 ἐνέργημα θεανδρικόν seu Dei virile unâ operatione productum
 requirit ἐνεργειῶν communicationem: Atqui ἀποτελέσματα
 officii Christi sunt ἐνεργήματα θεανδρικά seu Deivirilia unâ
 operatione à Christo producta, E. ἀποτελέσματα officii Christi
 requirunt ἐνεργειῶν communicationem. Major probatur,
 ἐνέργημα enim θεανδρικόν unâ operatione non nisi à Christo
 θεανθρώπῳ producitur, θεαίθρωπός autem est Christus com-
 municatione naturarum divinæ & humanæ, quam communi-
 catio ἐνεργειῶν necessariò insequitur. Minor negari nequit;
 non enim duplici ἐνεργείᾳ operatur Christus in ἀποτελεσμά-
 των productione, aliàs necessariò duplex persona statueretur;
 duplicatis enim ἐνεργείαις, duplicantur supposita, quorum est
 proprium ἐνεργεῖν.

4. *Ex fine incarnationis*; Diximus in principio hujus di-
 sputationis, & thesi septimâ demonstratum est, finem incarna-
 tionis esse executionem officii Christi, præsertim sacerdotalis,
 & exinde deduximus, humanam naturam unctam esse totâ
 plenitudine Deitatis, divinam verò incarnatam, ut utraq; simul
 (quod neutra sola præstare poterat) officium hoc exequere-
 tur. Hinc oritur syllogismus. Propter quod instituta & facta
 est incarnatio, illud exercuit Christus: Atqui propter commu-
 nicationem ἐνεργειῶν in operibus officii Christi facta est in-
 carnatio, E. cōmunicatiῶν ἐνεργειῶν in operibus officii Chri-
 sti exercuit. Minor ex dictis in principio patet: non enim sola
 humanitas, nec sola divinitas mediatrix esse poterat, igitur in-
 ter divinitatem solam, & humanitatem solam mediatrix est
Humana divinitas, & Divina humanitas ut Augustinus eleganter
 loquitur.

Antithesis: Christus non omnia opera officii secundum utramque naturam peregit, in quibus autem utraque natura operatur; ibi agit unaquaeque natura quod sibi proprium est, sine ulla ἐνεργειῶν & operationum communicatione.

Diversae quidem in hoc genere formari possent antitheses ut 1. *Monothetarum*, unam statuentium in Christo voluntatem, & sic naturas confundentium, sed de illis supra facta mentio, 2. *Jesuitarum* negantium Christum esse mediatorem secundum utramque naturam, sed de eo alibi dicendi locus, 3. *Calvinianorum* carnem à miraculis Christi, & operibus officij regij excludentium, de quo suo loco: Illam saltem hoc loco apposuimus, quae hujus generis propria est, & quam statuitur, in operibus officii Christi utramque naturam tantum agere ex naturalibus suis proprietatibus, sine ulla ἐνεργειῶν communicatione. Ita Danae exam. lib. Chemn. p. 324. *Quod ad secundum genus communicationis attinet, dico, omnia officia & opera mediatoris, quoniam sunt utriusque naturae communia, esse hujusmodi, ut verè in illis utraque natura, quod suum est & proprium, agat cum communicatione alterius, id est, in communi personâ manens eodem tempore, & ad ejusdem seu communis operis seu apotelesmatis effectiorem seu productionem operans, non autem cum communionem alterius, quasi ad ἐνεργείας seu operationis sibi propriae consortium & participationem natura divina assumat humanam, veluti sibi sociam & cooperatricem ac συναίτιον.* Martinius Exam querel. & admon. Balth. Mentz. p. 142. & 143. *Licet autem Dominus sit mediator secundum utramque naturam, non tamen omnia mediatoria gesta utraque naturam absolventur: Nam Deitate non patitur, non intercedit; corpore non excitavit corpus suum mortuum, & ad summam, corpore non facit id, quod sola immensa potentia, quae non nisi Deitatis est, prestare potest, satis autem est, quod Deitas corpus sibi univit, & corpus illud Dei corpus est.* Argumenta eorum partim eo sunt, quae primo genere vidimus, partim ad alterum genus pertinent, quae eousque reservabimus.

Thefis

THESIS ULTIMA.

Tertium genus communicationis idiomatum est vera ac realis μετάδοσις, quâ λόγος carni suæ, in personæ unitatem assumptæ, propriam suam gloriam, majestatem & infinita dona, absq; ullâ proprietatum confusione, exæquatione vel abolitione, ita verè communicat, ut quæcunq; λόγος est, & habet per essentiam, assumptæ caro habeat per unionis & communicationis personalis gratiam.

Ἐξήγησις.

Varias hujus generis appellationes recensere supervacaneū esse reor, legi illæ possunt apud Gerh. Exeg. LL. CC. p. 1337. §. 261. statim itaq; definitionis in thesi positæ evolutionem aggredimur, in quâ uberrimus materiarum & controversiarum cumulus sese offert; Cum verò antecedentia præter mentem & opinionem sub calamo excreverint, hic contractiores erimus, & breviter hæc tria discutiemus. 1. *subiectum & prædicatum*, 2. *particulas*, 3. *communicationem ipsam*.

Subiectum in hoc genere semper est *natura humana*; prædicatum *infinita dona, gloria & majestas λόγος*, quæ de humanâ naturâ, seu Christo homine prædicantur. Synonyma enim nobis sunt in hoc genere *humana natura* seu *Christus homo* & *Christus secundum humanam naturam*, repugnantibus quamvis adversariis: Duplex autem humanæ Christi naturæ *consideratio* esse potest, 1. *quatenus consideratur secundum actum suum naturalem, καθ' ἑαυτὴν, secundum se & ex suâ conditione*, quatenus à Deitate distinguitur, 2. *secundum actum personalem*, quatenus in

P 2

perfor

Tertium

Subiectum & Prædicatum

personā τῷ λόγῳ subsistit, atq; hypostasis verbi facta est carnis
 quoq; hypostasis, quem subsistentiæ modum nobiscum non
 habet communem, sed ipsi singularis plane est, ut thes. 8. ube-
 rius explicatum. Ex quibus patet, quo sensu prædicationes:
Caro est vivifica; Humanitas est adoranda, &c. dicuntur abstracti-
 væ; non sensu priori, Caro enim in se & ex se non habet virtu-
 tem vivificatricem: sed posteriori, caro enim unita λόγῳ ex u-
 nionis gratiâ est vivifica, h. e. *Christus vivificus secundum Deitatem
 ex se & per se, vivificat etiam secundum carnem, quatenus eam in sua
 personæ unitatem assumpsit, eiq; vivificandi virtutem communicavit.*

Particula.

Particularum in hoc genere alius est usus ac in primo, non
 enim hic sunt διακελευστικὰ *distinctiva*, vindicantes proprietates
 suis naturis, quibus per se insunt; sed διοριστικὰ καὶ δευλικὰ *de-
 terminantes* seu demonstrantes; demonstrant enim *objectum* cui
 communicatio facta: sic quando dico, *Christus vivificat secun-
 dum carnem*, particula καὶ non notat *virtutem vivificatricem esse
 propriam carni, & ex naturâ ejus fluere*; sed demonstrat carnem
 esse illud *objectum*, cui virtus vivificandi per & propter unionem
 communicata est. Sensus igitur est, *Christus est vivificus secundum
 carnem propter unionem personalem*. Objectum quod demonstrat
 particula καὶ est *ipsa natura*, principium verò seu causa, ex qua
 fluit, ut caro, sit vivifica, non hæret in carne, sed est unio perso-
 nalis. Ex quo discrimen hujus generis à prioribus duobus pe-
 tendum est, cui addatur diversitas quoad subjectum & prædi-
 catum; primum enim genus erat communicationis proprie-
 titum factæ personæ, alterum ἐνεργειῶν operationum, hoc ve-
 rò *majestatis & donorum factæ* humanæ tantum naturæ.

Tertium quod in hoc genere observandum, continet litem,
 cujus gratiâ fermè omnia suscipiuntur, quæ de idiomatum
 communicatione dicuntur & scribuntur, ea propter his hæc
 diligenter excutienda est; Alii secundum omnes circumstans-
 tias hanc communicationem considerant, nos brevitatibus, ut
 sæpius diximus, studio coacti, hæc saltem enucleabimus,
 in quæstionem fundamentalem, cui sequentia superstruenda,
 quæ

quæ hæc est; *An dona infinita Christo in tempore data, humanitati data intelligantur?* 2. Dona infinita humanitati communicat generaliter demonstrabimus, cui, 3. donorum quorundam datorum enumeratio & confirmatio succedet, quibus probatis, hujus generis communicatio firma satis erit.

Priorem quæstionem affirmamus, ut dicimus; *Dona infinita* (de donis creatis & habitualibus, quæ Christo non detrahimus, vel de aliis rebus, quæstio jam non est) *Christo in tempore data*, non divinitati, sed humanitati data intelliguntur, quod probamus, 1. *à natura divinæ perfectitudine & immutabilitate*: Natura enim divina perfectissima est, & omnia ab æterno habuit, nec mutari potest, Malach. 3. 6. *Ego Deus & non mutor*, Jacob. 1. 17. *Apud patrem luminum non est transmutatio*. Si autem in tempore demum Deitati Christi aliquid accederet, quod ab æterno non habuisset, quis mutabilitem in Deo statui non videret? quis Christum *temporalem esse Deum*, nec æqualis essentiæ cum patre, cum Photinianis & Arrianis affirmare non cogetur? Ita colligo; Quocunq; perfectio Deitatis Christi læditur, mutabilitas in eâ statuitur, & consequenter vera ejus divina natura negatur, istud affirmandum non est; Atqui divinitati Christi dona infinita in tempore esse data, perfectio ipsius Deitatis læditur, mutabilitas in eâ statuitur, & consequenter negatur; E. divinitati Christi dona infinita in tempore esse data affirmandum non est. Cum verò, quæ de Christo dicuntur, *secundum alterutram ejus naturam* dicantur, nec divinitati, aliquid datum sit, humanitati data, quæ data sunt, infallibiliter sequitur.

2. *à fine unctionis*; Quod paulò ante monuimus ex principio hujus disputationis, *subiectum unctionis* in Christo esse *humanam naturam*, quæ ob executionem officii Christi, Propheti, sacerdotalis & regii, uncta est plenitudine Spiritus S. *prætermensuram*, hoc est, dona accepit talia, qualia ad executionem officii Christi requirebantur, ac ibi ex fine incarnationis dedimus probatum, id hoc loco repeti volumus; qui unctionis fi-

*capit. 1.
Cui?*



nis tale gignit argumentum : Quæcunq; natura habuit ea, quæ ad executionem officii Christi requirebantur, ei non data sunt dona infinita, sed ei, quæ illa non habuit : Atqui divina Christi natura habuit ea, quæ ad officii executionem requirebantur, humana verò ea non habuit : E. non divinæ, sed humanæ naturæ dona infinita data sunt.

3. *Ex subjecti exinanitionis & exaltationis identitate* : Christum non secundum divinam, sed humanam naturam exinanitum esse, scriptura luculenter demonstrat, *qui enim erat in formâ Dei, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*, Phil. 2. 7. quod de diversis Christi statibus suo loco explicatur. Jam verò scriptura *idem subjectum exaltationis, quod exinanitionis statuit*, secundum quam enim naturam Christus exinanitus, secundum eandem est exaltatus, & eidem dona infinita data, ut ex speciali donorum datorum confirmatione patebit, interim argumentantes : Secundum quam naturam Christus est exinanitus, secundum illam dona infinita accepit. Atqui non secundum divinam sed humanam naturam est exinanitus ; E. non secundum divinam, sed humanam naturam dona infinita accepit.

4. *Ab expressâ scripturæ nominatione* : Non enim semel, sed sæpius scriptura *ipsam humanam naturam* exprimit, aut ita determinat, ut non nisi ea intelligi possit, sicut ex sequentibus evidens erit ; concludimus ergò hanc quæstionem hoc syllogismo : Cui naturæ Christi dona infinita in tempore data scriptura asserit, illi data firmiter credendum est : Atqui humanæ Christi naturæ dona infinita in tempora data scriptura asserit ; E. humanæ Christi naturæ dona infinita in tempore data firmiter credendum est.

Jam generalem de donis infinitis humanitati communis demonstrationem accedimus, ad quam spectant argumenta superius proposita de communicatione naturarum & personæ, quæ hic repeti possunt, addimus etiam hæc. 1. *Ex spiritus S. unctioe* : Psal. 45. 8. *Unxit de Deus, Deus tuus oleo præ participibus tuis* : Præsupponimus iterum ex præcedentibus, non divinam

vinam

David!

vinam sed humanam naturam in Christo esse unctam, & notamus hic, per Spiritus S. unctionem nihil aliud intelligi, quam donorum & quidem infinitorum collationem, oleum enim quo unctus est Christus est spiritus sanctus, Es. 61. 2. qui datus est Christo, non sicut aliis sanctis certo modo & mensurâ, sed præter mensuram, id quod probatur, 1. scripturae assertionem. Joh. 3. 34. Non dat Deus spiritum ad mensuram; super quæ verba dicit Piscator observ. 17. Inter Christum & credentes magnum discrimen est, quod ad dona spiritualia attinet, Christus enim accepit à patre immensam illorum donorum copiam, 2. Ex discrimine unctionis Christi & membrorum ejus: unctione, quæ sanctis propter Christum contingit, spiritus S. abundè quidem in nos effunditur, Tit. 3. 6. attamen quoad mensuram, Rom. 12. 3. unicuique datus ad utilitatem, & dividens singulis prout vult, 1. Cor. 13. 7. 11. Christus autem unctus est præter consortes suos sine mensurâ, 3. Ex plenitudine donorum in Christo; est plenus gratiæ & veritatis, ita, ut de plenitudine ejus accipiamus gratiam pro gratiâ, Joh. 1. 14. 16. Hæc itidem verba de plenitudine donorum spiritus S. humanitati Christi collatorum, intelligit Piscator, & explicat per verba illa Es. 11. 2. *Requiescebat super eum spiritus Domini* (ubi simul notamus, textum, Es. loqui non de finitâ sed infinitâ scientiâ. ita enim vers. 3. subjungitur. *Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet, sed judicabit in justitia pauperes, &c.*: qui verò justè judicabit, non ex externis signis & sensibus, sed etiam interna noverit, ille omnisciens & scrutator cordium sit necesse est) qualia igitur dona intelliguntur spiritus S. in textu Esaiæ; talia etiam ex mente Piscatoris intelliguntur in textu Johannitico, quæ non finita, sed infinita sunt, 4. Ex unctionis effectu, Act. 10. 38. *Jesum à Nazareth unxit Deus spiritu & virtute, qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo*: quam igitur virtutem Christus in unctione accepit, eam in divinis effectis producendis, sanando oppressos à Diabolo, exeruit. Colligimus ergò Quæcunq; dona (1) non habent mensuram (2) omnium hominum dona superant (3) de quorum plenitudine omnes homines dona gratiæ accipiunt, quibus (4) effe-

23. de Unctio

(4) effecta verè divina eduntur, illa non sunt finita, sed infinita: Atqui dona Christo in unctiōe spiritus S. collata sunt talia, E. dona Christo in unctiōe spiritus S. collata non sunt finita, sed infinita. Ulterius quæcunq; dona Christo in unctiōe suâ collata sunt, ea humanitati collata sunt; Atqui dona infinita Christo in unctiōe suâ collata sunt; E. dona infinita humanitati collata sunt.

2. *Ex operibus officii Christi*: propter officii executionem factam esse incarnationem, & Christum secundum humanam naturam & communicatâ ἐνεργεία opera verè divina, ad officium ejus spectantia, edidisse, in priori thesi vidimus: ἐνεργήματα autem divina, qualia Christus communicatis ἐνεργείαις per carnem operatus est, præsupponunt donorum infinitorum communicationem, alias caro talia ἐνεργήματα non poterat efficere. Argumentum est tale: Quæcunq; natura divina operatur ἐνεργήματα, illa infinita habet dona: Humana Christi natura divina operatur ἐνεργήματα, E. humana Christi natura infinita habet dona: non autem habet ea ex se, sed per communicationem.

Dextra Dei

3. *Ex sessione ad dextram Dei*: De sessione ad dextram Dei multa dicere, non est hujus loci; sufficit nobis scire, dextram Dei non esse corporeum aliquod membrum; Deus n. spiritus est, Joh. 4. 24. qui carnem & ossa non habet, Luc. 24. 39 sed omnipotentiam & virtutem Dei (perpēde Exod. 15. 6. Ps. 37. 11. Ps. 108. 7. Es. 48. 13.) unde dicitur dextra virtutis Dei, Luc. 22. 69. brachiū potentie Dei, Es. 62. 8. dextra majestatis, Heb. 1. 3. in quā virtute & majestate sedet Christus h. e. regnat & dominatur omnibus inimicis suis, donec eos ponat scabellū pedū suorū, Ps. 110. 1. 1. Cor. 15. 25. 1. Pet. 3. 22. Non a. secundū divinitatē sedet ad dextram Dei, illa n. est ipsa Dei dextra, sed secundū humanitatē, secundū quā passus, mortuus & sepultus, descendit ad inferos, ascendit in cælos, & sedet ad dextram Dei, ut Symbolū Apostolicum confiteretur. Argumentū: secundū quam naturam Christus sedet ad dextram Dei, secundum eam dona infinita & immensa accepit: Atqui secundum humanam naturam sedet ad dextram Dei: E. secundum humanam naturam dona infinita & immensa accepit.

4. Ex

4. *Ex scripturae assertionem:* Exprimit enim scriptura naturam humanam infinitam gloriam & maiestate præditam Matth 19. 28. *Filius hominis sedebit in sede maiestatis suae, c. 24. 30. videbunt filium hominis venientem in nubibus caeli, cum virtute multa & maiestate magna, c. 25. 31. Cū venerit filius hominis in maiestate sua, sedebit super sedem maiestatis suae: quæ virtus & maiestas non est finita, sed infinita patris gloria, filius enim hominis venturus est in gloriam patris sui, Matt. 16. 27. Et Joh. 17. 5. petit Christus: Glorifica me pater apud te ipsum eam gloriam, quam habui apud te antequam mundus fieret.* Hujus petitionis Christum factum esse participem, cum pater ipsum constituit *super omnem principatum, potestatem, virtutem & dominationem*, Ephes. 1. 21. quis pius dubitaret? Daniel 4. 13. 14. *Antiquus dierum dat filio hominis potestatem & honorem & regnum, ut omnes populi, tribus & linguae ipsi serviant. Apoc. 5. 12. Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divitias & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem.* In his dictis exprimitur *subjectum*, quod non est divina natura, sed humana, ut patet, 1. *ex clara litera*; dicitur enim *filius hominis*, 2. *ex passione & morte*; nam *agnus occisus accipit honorem*, 3. *ex datione in tempore*; siquidem hæc maiestas filio hominis confertur in tempore demum, post passionem & mortem, petit enim hanc gloriam a patre: ubi observa. (1.) *particulam nunc: Nunc glorifica* sc. post consummatum opus redemptionis, (2) *apud te ipsum*: Non ergo loquitur de glorificatione coram mundo, de qua vers. 10. dicit: *clarificatus sum in eis.* Nec divinitati hæc gloriam petit, secundum eam enim hæc gloriam habuit apud patrem, & *operatus est cum patre c. 5. 17. Prædicatum est infinita & immensa gloria ac maiestas; est n. maiestas ac gloria aeterni patris, quæ fuit ab æterno, antequam mundus fieret.* Unde talis fuit demonstratio: Cuicumque communicata est gloria & maiestas Dei patris, quæ fuit ab æterno, illi verè immensa & infinita gloria communicata est. Atqui Christo secundum humanam naturam gloria & maiestas Dei patris, quæ fuit ab æterno communicata est. E. Christo secundum humanam naturam verè immensa & infinita gloria communicata est.

Et hæc de secundo, sequitur tertium, quod est specialis quorundam idiomatum cōmunicationis enarratio & demonstratio: Quod a. antea diximus, id hic repetimus, tutissimum esse, non rationis lubitum, sed scripturæ ductum in enumeratione idiomatum communicatorū sequi, cujus moniti memores, ex sacrarum literarum revelatione hæc communicata saltē hac vice ostendemus. 1. omnipotentiam. 2. omniscientiam. 3. omnipresentiam. 4. cultum religiosæ adorationis, de singulis ordine.

1. Omnipotentiam Christo secundum humanam naturam datam esse probamus. 1. *Dictis*: Classicum dictum est Matt. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ: cui adjungimus sequentia* Ps. 2. 8. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ,* Ps. 8. 7. *Et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus & c.* Heb. 2. 8. *in eo autem, quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subiectum ei (præter eum, qui subjecit ei omnia, 1. Cor. 15. 27.)* Dan. 7. 14. *Antiquus dierum dedit filio hominis potestatem, & omnes populi, tribus & lingua ipsi servient, potestas ejus, potestas æterna,* Ps. 72. 5. *Dominabitur à mari, usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos terræ,* Matt. 11. 27. *omnia mihi tradita sunt à patre meo,* Joh. 17. 2. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis,* Rom. 14. 9. *In hoc Christus mortuus est, & resurrexit & revixit, ut mortuis ac viventibus dominetur.* Eph. 1. 20. *Deus suscitans Christum à mortuis, constituit eum ad dextram suam in cælestibus, super omnem principatum & potestatem & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo sed etiam in futuro.* 1. Pet. 3. 22. *Christus est in dextrâ Dei profectus in cælum, subiectis ipsi angelis & potestatibus & virtutibus.* Duo semper demonstranda sunt. 1. *Dona data esse verè infinita & divina,* 2. *competere ea Christo secundum humanam naturam.* Hanc communicatam Christo homini potentiam esse verè divinam, increatam & infinitam potentiam probo. 1. *ex appellatione:* vocatur n. *πᾶσα ἐξουσία omnis potestas,* frustra a. *ex distinctione vocum ἐξουσία καὶ δοῦνάμεως hæc potestas creata & finita statuitur.* Nā discrimen hoc non est perpetuum, ut videre est ex Luc. 4. 36. c. 9. 1. ubi tanquam synonyma conjunguntur; imò ἐξουσία inter-

3.
Sic. Eva!

Omnipotencia

interdum est supra' δύναμιν Luc. 19. 19. hoc autem loco πᾶσαν ἐξουσίαν ἀ πᾶσιν δυνάμει non differre, nec eā inferiorē esse probō. 1. ex scopo dicit Matt. 28. 18. instituturus enim Christus ministerium verbi, præmittit hoc dictū de suā omni potestate; docens Apostolos & discipulos suos, sibi talem potentiam esse datā, quā contrā omnes persecutiones & tyrannides ministerium suum defendere queat. Hinc Marc. 16. 20. dicitur; quod Christus in prædicatione verbi cooperatus sit, & sermonem cōfirmaverit signis subsequentibus, quod ex eādē potestate factum, de quā Christus hoc loco loquitur, & ex quā ministerium hoc instituit. Talem a. potestatem non esse creatam, sed verē divinā, & institutio verbi, & miracula, per prædicationē verbi facta, firmiter evincunt. 2. Ex diversitate ἐξουσίας communicatæ Christo, & communicatæ aliis creaturis: Nam aliis etiā creaturis dedit Deus ἐξουσίαν, non autē πᾶσαν ἐξουσίαν: Apostolus Paulus gloriatur, sibi datam esse ἐξουσίαν, 2. Cor. 10. 8. nō autem omnem, sed talē, quā operatus est secundū mensuram regulæ, quā mensus est ipsi Dominus mensuram, ut pervenerit, (prædicatione sc. verbi) etiam ad Corinthios, v. 13. non igitur immensā ἐξουσίαν ubiq; suā prædicatione operatus est, sed secundū certā mensuram, quam ipsi mensus est Dominus. Angeli habēt potestatem magnam Apoc. 18. 1. & sunt potentes virtute Ps. 103. 20. nemo tamē πᾶσαν ἐξουσίαν habet, qualem Christus. 3. Ex δυνάμειω subjēctione: Est ἐξουσία Christi suprā δυνάμεις illis imperans Eph. 1. 21. 1. Pet. 3. 22. Quibus observatis, in fumum abeunt omnes adversariorū exceptiones, quas de vocabulo ἐξουσίας excogitant. 2. Ex objecto: Extendit se hæc potentia per totum mundum, & sibi subjēta habet omnia in cælo & in terrā, dominatur à mari usq; ad mare, potestatibus, principatibus, angelis & omni carni, excepto solo Deo; qualis est descriptio potentia solius Dei, vide Num. 16. 22. c. 23. 16. Jer. 32. 17. 1. Paral. 29. 11. Ps. 103. 19. 3. Ex adjunctā aternitate: potestas n. e. jus, potestas aterna, Dan. 7. 14. nec aterna tantū à parte post, est enim potestas cui omnes populi, tribus & linguæ servient, qualis est solius Dei potentia, quæ ab aeterno est; & qualis est gloria illa, quæ data est h. l. filio hominis, talis etiam intelligenda est potestas;

ἐξουσία

est; illa autem fuit *ante conditum mundum*, Joh. 17. 5. Cōprehendimus hæc tali syllogismo: Quæcunq; potestas potest instituire ministerium verbi, illudq; efficaciter & potenter gubernare & defendere, qualis nulli creaturæ, præter solū Christum attribuitur, dominatur omni creaturæ in cœlo & in terrâ, estq; ab æterno, illa non est creata sed increata, infinita & verè divina. Potestas Christo data est talis. E. potestas Christo data non est creata, sed increata, infinita & verè divina; quod primum.

Competere Christo hanc potestatem *secundum humanam naturam* probo. 1. *Ex manifestâ appellatione & determinatione*: subjectū n. cui data est omnis potestas, expressè appellatur *filius hominis*, qui est mortuus & resuscitatus, *qui habet pedes, quibus omnia subjecta sunt*, 2. *ex datione in tempore*: data est *mibi* inquit Christus, non n. loquitur *de æternâ generatione*, quâ ipsi pater essentiam & omnia cōmunicavit, sicut Piscator & alii putāt, sed *de datione in tempore factâ*, quod probo 1, *loco parallelo* Matt. 16. 20. in quo loco de eadem potentiâ Marcum agere, de quâ hoc loco Matthæus agit, supra vidimus: ibi a. loquitur de naturâ secundum quam *sedet ad dextram Dei*, quæ est natura humana. 2, *ex postulatione hujus potentie*, quæ Ps. 2. *precipitur filio*: secundum divinam verò naturam postulare nihil poterat, secundum quam omnia habebat, & secundum quam si aliquid postulare deberet ante generationem, sequeretur filium ante generationem à patre fuisse filium, & aliquid à patre postulasse. 3. *Ex status exinanitionis antegressu*: quædã dicta de exinanitione Christi loquuntur, eamq; præmittunt, quâ subsecuta demum est exaltatio & potestatis gubernandi usurpatio: Hæc dicta sunt Ps. 8. Heb. 2. Rom. 14. Eph. 1. 1. Pet. 3. Colligimus hæc sub hac formâ: Quodcunq; datum est Christo secundum eam naturam, secundum quam *sedet ad dextram Dei*, secundum quam aliquid petere & accipere potest à patre, & secundum quam exinanitus & exaltatus est, idipsum secundum humanam naturam datum est. Atq; omnipotentia Christo secundum eam naturam data est; E. omnipotentia Christo secundum humanam naturam data est, &c

est, & per consequens humana Christi natura, seu Christus secundum humanam naturam est omnipotens.

2. Operibus Christi: qualia sunt, vivificatio, miraculorum, productio, peccatorum remissio, & iudicii extremi executio: Vitam hoc loco intelligimus naturalem, spiritualem & aeternam, quam omnem Christus operatur: vivificat verò caro, tum meritorie, tum effectivè, utrumq; requirit virtutem & potentiam divinam, prius ex secundo genere communicationis patet, posterius hoc loco ostenditur. Vivificatio vero Christi sequentibus scripturae locis proponitur. Marc. 5. 41. Tenens manum puella, ait illi: Talitha kumi, h. e. puella, tibi dico surge. Joh. 11. 43. voce magna clamat: Lazare veni foras. c. 6. 51. Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, & panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita v. 53. nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis v. 4. qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die, v. 58. qui manducat hunc panem, vivet in aeternum v. 26. sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit, & filio habere vitam in semetipso, (nota autem, hoc dictum quidem adducit Christus ad probandam suam Divinitatem, & aequalitatem cum patre, simul tamen docet humanitati quoq; datam esse vitam patris, id quod patet (1.) ex particulam enim, quae est causalis, cur mortui ad vocem filii reviviscerent. (2.) ex verbis subsequenter. cui enim data est potestas iudicii, faciendi ei etiam data est vita patris. Ea potestas a. data est filio hominis, quia filius hominis est v. 27. E.) 1. Cor. 15. 21. per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur v. 45. factus est primus Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. Joh. 5. 28. Venit hora, in qua omnes, qui in momentis sunt, audient vocem filii Dei & procedent. Hanc potestatem, quam vivificatio vitae naturalis, spiritualis & aeternae peragitur, esse verè divinam, increatam & infinitam non puto quemquam dubitare. Nulla enim creatura sibi ipsi vel alii vitam largiri ex se

Vivificatio.

potest, nemo in peccatis mortuum suâ vi excitare potest, nulla finita potentia æternam vitam acquirere, aut facere potest, ut in æternum vivamus. *Carni* igitur hanc potentiam communicatam probo 1. *Ex appellatione: Panis enim vitæ est vivificus*, Johan. 6. 48. 50. 51. *Caro autem Christi est panis vitæ v. 51.* per comestionem carnis in æternum vivimus v. 55. *per vocem & attactum mortui resurgunt &c.* 2. *Ex primi & secundi Adami oppositione:* opponuntur enim Adam & Christus non secundum divinam, sed humanam naturam, & sicut corpus Adami, propter unionem cum animâ factum est animatum; ita etiam humana Christi natura, propter unionem cum λόγῳ facta est λογθεϊσιν *deificata*, & consequenter, ut corpori communicata propria animæ; ita humanæ Christi naturæ propria λόγῳ, ut supra quoque dictum. Nectimus tale Argumentum: Quodcumq; Christo attribuitur secundum eam naturam, secundum quam habet carnem, vocem, manus, & quæ unita est λόγῳ, id ipsi secundum humanam naturam attribuitur. *Vivificatio* Christo secundum eam naturam attribuitur. E. *vivificatio* Christo secundum humanam naturam attribuitur.

Miracula.

De miraculis loquuntur dicta. Act. 10. 38. *Jesum Nazarenum unxit Deus Spiritu S. & virtutē, qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, quoniam Deus erat cum ipso* Matt. 8. 3 *tactu manus sanat lepram*, Marc. 6. 5. *infirmos sanat impositione manuum c. 5. 30. virtus sanandi ex ipso exit.* c. 16. 20. *confirmat verbum subsequenter signis &c.* quibus exemplis historia Evangelica plena est: Miracula autem ut veram arguunt deitatē, sicuti th. 2. vidimus, ita *potentia*, quæ miracula edit, verè divina & infinita est, dum modo ergo hoc probaverimus, hanc potentiam Christum habere & exerere secundum *humanam naturam*, obtinuumus id, quod volumus. Evincimus autem hoc 1. *Ex unctioe:* secundum quam naturam unctus est, secundum eam, benefecit & sanavit oppressos à diabolo. 2. *à sessione ad dextrā Dei*, quod est signum humanæ naturæ. 3. *ex membrorum adhibitione:* Adhibuit adhuc miracula *vocem, manus &c.* quæ humanæ natu-

naturæ membra, non ut organa merè passiva ἀνεργα, sed ut σύν-
 εργα & cooperativa adhibuit. Unde collectio: Quod Christo
 attribuitur secundum eam naturam, secundum quam sedet
 ad dextram Dei, secundum quam unctus, & vocem & manus
 habet, id secundum humanam naturam ipsi attribuitur. Mi-
 raculorum productio Christo secundum eam naturam attri-
 buitur. E. miraculorum productio Christo secundum huma-
 nam naturam attribuitur.

De remissione peccatorum clariora dicta scriptura suppedi-
 tat hæc. Matth. 9. 4. *Filius hominis habet potestatem in terris remit-
 tendi peccata.* c. 26. 28. *sanguis Christi emundabit conscientiam no-
 strā ab operibus mortuis* 1. Joh. 1. 7. *sanguis Jesu Christi filii Dei emū-
 dat nos ab omni peccato* 1. Pet. 1. 19. *pretioso sanguine agni immacu-
 lati redempti estis.* Hanc esse divinam potentiam, quā αὐτοῦ ἑαυτοῦ
 ἐκνωσ & magisterialiter remittuntur peccata, ipse Deus subin-
 nuit, ille enim est, is est ipse qui delet iniquitates nostras propter se,
 & peccatorum nostrorum non recordatur Esai 43. 25. *ipse mundat nos
 ab omnibus iniquitatibus nostris* Ezech. 36. 33. Act. 15. 8. 9. *caro au-
 tem hanc potestatem habet, ut patet 1. ex nominatione: filius e-
 nim hominis & ejus sanguis emundat à peccatis. 2. ex scribarum o-
 pinione* Matth. 9. ipsi enim sciebant, nemini nisi Deo hanc pote-
 statem, magisterialiter remittendi peccata esse attribuendam.,
 propterea intra se dicebant, Christum blasphemare: sed Chri-
 stus ostendit subsequenti miraculo, *etiam filium hominis habere
 potestatem remittendi peccata.* Ita colligo: Quodcunq; Christo ut
 filio hominis sanguine prædito, & secundum eam naturam.,
 de qua scribæ dubitabant habere potestatem remittendi pec-
 cata, attribuitur, id ipsi secundum humanam naturam attri-
 buitur. Atqui τὸ remittere peccata & emundare conscientias
 Christo tali modo attribuitur. E. τὸ remittere peccata, & e-
 mundare conscientias Christo secundum humanam naturam
 attribuitur.

Tandem *judicii extremi executionem* probant dicta. Joh. 5.
 27. *pater dedit filio potestatem judicium faciendi, quia filius hominis
 est.*

Remissio peccato

est. Act. 17. 31. Deus statuit diem in quo iudicaturus est orbem in iustitia, per virum per quem decreverat. Matt. 16. 17. Filius hominis venturus est in gloria patris sui, & reddet unicuique secundum opera eius. Divinitatem hujus muneris ostendunt ejus requisita, ut sunt 1. omnium hominum resuscitatio, & ad tribunal convocatio. 2. occulta cordium perscrutatio. 3. efficax vel ad vitam vel ad mortem adjudicatio Rom. 2. 6. seq. Matth. 25. 34. seq. 4. potens sententiae latae executio Matth. 25. 46. praeterea juxta humanam naturam haec dicta esse intelligenda probo 1. ex clara litera; attribuitur enim iudicium filio hominis, ut particula $\delta\pi$ firmissimè arguit; & viro per quem Deus decrevit, 2. ex datione in tempore: data enim haec potestas post resurrectionem à mortuis Act. 17. Argumentum. Quodcunque Christo homini in tempore datum attribuitur, id humanitati attribuitur. Atque iudicii extremi executio Christo homini in tempore data, attribuitur. Ergo iudicii extremi executio humanitati Christi attribuitur. Generatim igitur concludimus: Cuicumque attribuitur vivificatio, miraculorum productio, magisterialis peccatorum remissio, & iudicii extremi executio, ille est omnipotens. Atqui carni Christi seu Christo secundum carnem talia attribuuntur. E. caro Christi, seu Christus secundum carnem est omnipotens, quod primum.

ii. Omniscientia Christi probatur 1. Dicitur Esai. 11. 1. Requiescet super virgultum de radice Jesse spiritus Domini, Spiritus sapientiae & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiae & timoris Domini erit in eo: non secundum visionem oculorum iudicabit, nec secundum auditum aurium arguet, sed iudicabit in iustitia &c. hunc spiritum ipsi dedit Deus non ad mensuram Joh. 3. 34. Spiritus sine mensura est spiritus infinitus, & immensus, seu dona spiritus immensa. E. etiam ejus scientia, novit enim hic spiritus omnia, etiam profunditates Dei 1. Cor. 2. 10. Sic judicantem non secundum visionem oculorum &c. oportet esse $\kappa\alpha\pi\delta\iota\omicron\gamma\upsilon\alpha\lambda\epsilon\upsilon\upsilon$ si rectè omnia iudicare debet & velit. Juxta humanam naturam spiritum super Christum requiescere Esaias expressè docet, nec Spiritus S. filio Dei secundum divinam naturam dari potest, secun-

Act. 17. 31.

Omniscientia.

secundum quam eum à se habet procedentem. Vera igitur hæc collectio: Cui datus est Spiritus omniscientiæ sine mensurâ, ita ut corda scrutari potest, is est omniscius: Christo secundum humanam naturam Spiritus omniscientiæ sine mensurâ datus, ita ut corda scrutatur. E, Christus secundum humanam naturam est omniscius.

2. *Ex operibus.* *Judicium faciet in extremo iudicio, in quo rationem exiget de omni otioso verbo, Matt. 12. 36 Et occulta cordium iudicabit, Rom. 2. 16. 1. Cor. 4. 5. Eccles. 12. 14. Rom. 8. 34. Christus, qui est mortuus etiam resurrexit, qui est ad dextram Dei, interpellat pro nobis Heb. 2. 18 in quo passus est ipse & tentatus, potens est, & ijs, qui tentantur, auxiliari, Apoc. 2. 2. dicit filius hominis ambulans inter candelabra, scio opera tua & laborem & patientiam tuam, Matt. 24. 4. prædicit discipulis suis signa extremi diei. Argumentum necesse tale: Quicumq; in extremo iudicio omnium hominum verba, etiam occulta cordium novit, pro infidelibus interpellat, eorum necessitatibus succurrit, omnium hominum dicta & facta videt, & futura longissimè prædicit, is est omniscius. Christus secundum humanam naturam hoc facit, E. Christus secundum humanam naturam est omniscius. Major patet, Solus enim Deus est καρδιογνώστης, qui omnia auditq; videtq;, & quæ futura sunt prædicit, unde qui talia facit, eum oportet esse divinâ scientiâ instructum; & quomodo Christus pro omnium fidelium necessitatibus interpellare, eis succurrere potest, nisi sit omniscius, & nostras afflictiones noverit? quid impedit, quo minus sanctos Enoch & Eliam cum pontificiis invocemus, ut illi nobis succurrant, nisi quod eum, quem invocamus, omniscium esse necesse sit, & nostras infirmitates scire? Minor ex inspectione textus manifesta est, *filius namq; hominis iudicabit, is passus & mortuus est, is tentatus est per omnia, is loquitur, quando discipulis suis signa ventura prædicebat.**

III. *De omnipresentia.* De hac gravi & intricatâ controversiâ, ut possit quodammodo fieri iudicium, sciendum est, quid per omnipræsentiam intelligatur. Et initio constat *aliam esse præsentiam carnis ad λόγον, & hujus ad illam, de qua ty. 6*

R

actum,

Omnipresentia.

X3.
 actum, aliam eam de qua h. l. agitur, quam (omissis omnibus rationis speculationibus de diffusionem, extensionem & locali inclusionem, & reliquis status perversionibus) definimus, quod sit presentissimum ac potentissimum dominium, quo Christus ad dextram Dei erectus, in caelo & terra plena majestatis suae exertione, omnia potenter & praesenter gubernat. Cujus praesentis gubernationis certi quidam modi recensentur Tom. 1. Gies disp. 3. th. 146. seqq. Nos brevitatis studio generatim presentissimum Christi hominis super omnia in caelo & in terra dominium stabilimus. sequentibus fulcris.

1. *Ex promissione Christi.* Matt. 18. 20. *Vbi n. duo vel tres in nomine meo congregati sunt, ibi ego sum in medio eorum.* c. 28. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus dieb. usq. ad consummationem saeculi.* In his dictis promittit Christus suam praesentiam secundum utramque naturam, nam i loquitur de tota persona sua: *Ego ero:* quamvis autem in operationibus non omnia, quae de personam dicantur, ad utramque naturam applicari possunt, constat tamen, a praesentia totius Christi ad praesentiam utriusque naturae legitimam esse sequelam. Si n. altera natura esset, ubi non esset altera, ibi non esset persona *σὺ θεός*, sed simplex, nec divina natura ibi incarnata esset: In naturam idem planum est, ubi enim homo est praesens, ibi omnia ejus membra & partes; licet homine vidente, loquente & c. omnia ejus membra non videant, vel loquantur. 2. *promittit Christus suam praesentiam gratiosam apud fideles in Ecclesia, in quibus suas operationes exerens, non secundum alterutra tantum, sed utramque naturam operatur, quippe quae operationes ad officium ejus spectant.* Argumentum est tale: ubicumque est totus Christus officium suum exeques, ibi est utraque ipsius natura: Atqui ubique in Ecclesia in medio fidelium est totus Christus praesens, officium suum exeques, E. ubique in ecclesia in medio fidelium utraque Christi natura est.

2. *Ex omnium impletione:* Eph. 1. 22. *Deus constituit Christum caput super omnia ipsi ecclesiae. quae est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet.* c. 4. 10. *qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes caelos, ut adimpleret omnia.* Dicta haec de carne Christi loquantur, secundum quam exinanitus & exaltatus, & secundum

cundum quā impetrare potuit, ut adimpleret omnia, particula enim ut notat *causam finalem* ascensus & descensus, quæ nō erat, ut Deitas impleret omnia, ipsa enim antea omnia adimplevit, sed humana natura. Proinde videndum quid adimpletio omnium notet. Duo a. complectitur 1. *substantialē proprietatem.* 2. *potentem gubernationem.* Prius de Deo dicitur Jer. 23. 24. *Nunquid Deus è vicino ego sum, & non Deus de longe? nunquid non caelum & terram ego impleo.* Posterius ex eo patet, quod Deus nunquā sit otiosus, sed quia *omnia in eo constant* Col. 1. 17. *& in ipso vivamus, moveamur & simus* Act. 17. 28. in omnium conservatione & gubernatione operosus est. Unde: Quicumq; omnia adimplet, is est ubiq; præsens. Christus secundum humanam naturam omnia adimplet. E. Christus secundum humanam naturam est ubiq; præsens.

3. *Ex operibus.* Marc. 16. 20. *Dominus confirmavit verbum subsequētib. signis,* Ps. 110. 2. *Dominatur in medio inimicorum suorū.* Psal. 72. 8. *à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos terræ.* Hoc dominium Christus *secundum humanam naturam* exercet, ut textus inspectio ostendit. Non a. putandum est Christum, absenter dominari inimicis suis, *sicut reges terreni, hoc n. imbecillitas est,* Christus vero est *in potentia Dei* præsenter in medio inimicorum, non procul absens omnia gubernans; quēadmodum igitur Dei dominium est conjunctum cum substantiali præsentiā, ita etiam dominium Christi secundum humanam naturam; *unum enim idemq; est dominium, quo dominatur Christus secundum humanam ac divinam naturam.* Argumentū. Ubicumq; Christus secundum humanam naturam dominatur, ibi quoq; secundum eā præsens est, At ubiq; secundum humanam naturam dominatur. E. ubiq; secundum eam præsens est.

4. *Exemplis apparitionum:* Apparuit Stephano Act. 7. 56. Paulo c. 9. 4. & seqq. c. 22. 14. Anania c. 9. 10. iterum Paulo c. 18. 9. & c. 23. 11. Johanni Apoc. 1. 12. 13. Apparitiones hæ, ut ut omnipræsentiā probare non videantur, opponimus tamē eas adversariis iisq; firmiter demonstramus, *Christū nullibi esse inclusum, ut sine locorum ἀναγκασίᾳ esse possit, quo velit.* Nos ita argumē-

tamur: ubi Christus apparuit, ibi nō est absens sed præsens, at-
 qui in his terris in medio ecclesiarū suarum apparuit. E. in his
 terris, in medio ecclesiarum suarum est præsens. Ulterius, cum
 adversarii acriter defendāt, Christum secundū humanā na-
 turam esse tantū in cœlis, in quos ascendit, & inibi inclusū, ut an-
 te adventū ad iudicium, in terris secundum carnē non sit, hęc
 sequelam elicimus: Quicumq; est in cœlis & in terris absq; ullis
 locorū impedimentis præsens, is est omnipræsens: Atqui Chri-
 stus secundū humanam naturam est in cœlis & in terris, absq;
 ullis locorū impedimentis præsens. E. Christus secundū hu-
 manā naturam est omnipræsens. Hęc de copiosā hac cōtrover-
 siā brevissimè dixisse instituti nostri ratio requirebat, plurib. &
 uberiore demōstratione & explicatione qui delectatur, cōsu-
 lat Gerh. Exeg. LL. p. 1393. §. 218. seq. Chem. de duab. naturis c.
 30. p. mihi 183. Meisn. Schol. Acad. disput. 2. th. 213. seq. Tom. 5.
 Giesl. disput. 6. 7. 15. tom. 7. disput. 23. 24. Franz. de interpret.
 script. orac. 125. p. 1153. solidam decisionem, ut & Apologiam
 Saxoniam p. 361. 169. 349. &c.

Adoratio.

II. De cultu religiosa adorationis agunt: Tum dicta Ps. 97. 8.
 Heb. 1. 8. Et adorent eum omnes angeli. Dan. 7. 14. filio hominis omnes
 populi, tribus & lingua servient. Phil. 2. 9. 10. Et donavit (ἐξαείου-
 το) ipsi nomen, quod est suprā omne nomen, ut in nomine Jesu se-
 flectat omne genu, cœlestium, terrestrium ac inferorum Joh. 5. 22. Pa-
 ter omne iudicium dedit filio, ut omnes honorent filium sicut honorāt
 patrem: Tum exempla: Adorant ipsum Magi Matth. 2. 11. Cæcus c.
 20. 30. Luc. 18. 38. Cananæa mulier Matt. 15. 22. Populus c. 21. 19. Le-
 prosi Luc. 17. 17. Stephanus Act. 7. 56. beati in alterā vitā Apoc. 5. 12.
 Consueto more duo elicimus 1. cultum hunc esse religiosum &
 divinum, qualem sibi solus Deus reservavit Deut. 6. 3. c. 10. 20.
 Matt. 4. 11. quod patet 1. Ex invocantium quantitate: Invocant i-
 psam angeli & homines. 2. ex adjunctā fiduciā: Stephanus cōmit-
 tit ipsi animam, mulier Cananæa petit liberationē filiz ipsius a
 diabolo & c. maledictus autem qui ponit carnem brachiū suum Jere.
 17. 5. 3. ex genuflexione: quæ attribuitur Deo Esai. 45. 23. & Chri-
 sto his ipsis verbis applicatur Rom. 14. 11. 4. ex indentitate invo-
 catio-

erationis patris & filii: honorant enim filium, sicut honorant patrem.
 2. Hunc cultū dirigi etiam in humanam Christi naturā, quod patet 1. ex nominatione filii hominis. 2. ex status exinanitionis antecessu. 3. ex donatione in tempore. 4. ex iudicij extremi administratione: quia invocabunt illum, qui administraturus est iudicium, qui est Christus, etiam secundum humanam naturam: Concludimus ergo: Quemcunq; adorant omnes angeli, & omnes homines in ipsum fiduciam suam collocantes, & coram quo, sicut coram Deo, genu flectunt, is religiosè cultu divino adoratur. Christum secundum carnem tali modo adorant & invocant. E. Christus secundum carnem religiosè cultu divino adoratur. Minorem probo: Quod Christo attribuitur, ut filio hominis, exinanito & exaltato, in tempore ipsi datum, & secundum eam naturam, secundum quam iudicaturus est mundum, id ipsi secundum humanam naturam attribuitur. Hic cultus ipsi, ut filio hominis exinanito & exaltato, in tempore datus, & secundum eam naturam, secundum quam iudicaturus est mundum attribuitur. E. hic cultus ipsi secundum humanam naturam attribuitur: quod demonstrandum fuit.

Antithesis. 1. Dona Christo in tempore data non humanitati tantum data sunt, sed data sunt vel personæ, vel utrique naturæ, aliter tamen divinæ, aliter humanæ: vel de donorum absconditorum restitutione & manifestatione secundum divinam naturam intelliguntur.

Dissensus adversariorum in hac quæstione magnum malæ causæ indicium est, quidam eandem nobiscum fovent sententiam, ut Danæus Exam. lib. Chemn. p. 361. *prolixè benignèq; hoc illi (Chemnitio) largientes, nimirum, que Christo donata dicuntur, ea respectu humane ipsius nature, aut secundum humanam naturā dici donata Christo, quidā de personā θεοῦ & ὁμοῦς intelligūt, cui humana natura data, ut Sadeel de V. H. N. c. 4. objection. 5. p. mihi 181. Quando quidem Christus dicitur accipere, non quatenus est ὁ λόγος, sed quatenus ὁ λόγος naturam nostram assumpsit: Et ita intelligo, quod dicit Theodoretus, illa dici propter humanitatem, id est, propter*

Antithesis

reà quod ὁ λόγος humanam naturam assumpsit: quidam de utraque naturâ intelligunt. Polonus Syntagm. lib. 6. c. 22. p. 415. Christus est exaltatus non tantum secundum humanam, sed etiam secundum divinam naturam. Sohnius in ex A. C. art. 3. p. 255. Exaltatio illa facta est secundum utramque naturam. It: Exaltatio illa aliter secundum divinam, aliter secundum humanam naturam intelligitur, videatur d. l. Alii denique ad divinam naturam referunt, sed de restitutione, aut ut aliis placet, de manifestatione intelligunt. Sohnius in exeg. A. C. p. 120. Christus actu habuit gloriam equalem, cum Deo patre, sed ad tempus eâ quae se abdicavit, Tilen. part. 2. disp. 7. §. 2. Divina natura exaltata est κατὰ τὴν patefactione majestatis, quod in statu exinanitionis se quodammodo occultavit.

Fundamenta discordium opinionum apponere necessarium non est, proferre enim esset refutare, si modo obliervetur. 1. verus questionis status: non enim de quibusvis datis quaestio est, sed de donis majestatis & gloriae divinae, quem statum Sadeel. pervertit. 2. Regula quaecumque de Christo dicuntur, secundum alterutrum naturam intelligenda sunt.

Anititibesis, 2. Carni Christi summa & maxima quidem dona attribuuntur, finita tamen qualia creaturae naturae competere possunt, sed divina & infinita dona ipsi minimè attribui debent, unde falsum est, Christum secundum humanam naturam esse omnipotentem, & divinam & infinitam potentiam operari, nec omniscientia, nec omnipraesentia, nec religiosa invocatio verè ipsi assignatur.

Concurrunt hic iterum Calviniani cum Pontificiis. Bellarm. lib. 3. de Christo c. 1. Ad secundum genus pertinent hoc tempore omnes Lutherani, qui duo docent, ex quibus sequitur, eos vel esse Eutychnianos vel Nestorianos, vel monstrum ex utraque heresi temperatum. Primò dicunt Christi carnem habere attributa divinitatis, ac praecipuè omnipraesentiam &c. Sadeel. de Ver. H. N. c. 3. p. mihi 153. ex professo refutat idiomatum communicationem. Zanch de incarn. l. 2. p. 381. Hypostaticam duarum in Christo naturarum unionem minimè consecuta est realis proprietatum essentialium divinae naturae in humanam communicatio, Danæus Exam. p. 40. hanc
(Chem-

(Chemnitii) sententiam prioribus (Chemnitii) verbis, & sic ipsi veritati esse contrariam dicit. Cujus hæc summa est; unius Christi natura (veluti divinæ) proprietates & idiomata essentialia, alteri nature (veluti humanæ) verè & realiter communicari, verè tribui, verè ac realiter inesse, ac eo quidem modo, quo vitales animæ potentia & facultatem, corpori animato insunt, & ignis ferro ignito communicatur. p. 294. Nullum essentialia idiomata λόγος rei ulla creatæ est realiter κοινωνητόν, id est, communicabile & participabile, nisi essentialiam quoque ipsam divinam esse reipsa communicabilem & participabilem à carne assumptâ blasphemè dixeris. Bellarm. l. 3. de Christo c. 16. respons. ad tert. argumentum respons. 3. potest locus posterior intelligi de potentiâ collata Christi humanitati in omnes creaturas quæ tamen nec est absolutè omnipotentia, nec requirit omnipræsentiam, Dæmus Exam. p. 363 Quum humana Christi natura seu caro sit creatura, non est certè capax increata potentia, aut ullius alterius essentialis Deitatis proprietatis. p. 118. Admiracula efficienda non plus caro Christi quam ad edita ab Apostolis miracula, Caro Apostolorum contulit, aut Virga Moysi ad edenda miracula Moysi profuit. &c.

Argumenta eorum breviter in hunc fasciculum colligo. 1. Si propria divinæ nature humanitati communicarentur, due forent omnipotentia, omniscientia &c. altera in Deo, altera in carne, 2. sequeretur naturarum Eutychiana Confusio & exequatio. 3. Humana natura foret Deus quod tamen negatur. 4. finitum non est capax infiniti. 5. Scientia Christi crevit, Luc. 2. 52. 6. Quædam ignoravit, Matt. 24. 36. Marc. 13. 32. E. non fuit infinita, 7. Caro Christi est mortua, quomodo ergò esse potuit vivifica. 8. Christus de loco in locum ambulavit, E. non fuit omnipræsens. 9. habet verum corpus, quod non est in pluribus locis simul, 10. Ascendit in cælum, ex quo reversurus est ad judicium. 11. Solus Deus & adorandus, E. non Caro.

Hiscerationibus oponimus 1. Veram questionis status explicationem: in quâ naturarum confusio vel exequatio refellitur. Propria enim communicantur non physicâ transfusione, & subjectivâ in hæsiōne, sed possessione, usurpatione & denominatione. 2. Acquiescat ratio & obtemperet scripture præscriptio, etiam si

etiam si mysteria magna capere non valeat. 3. Alia sunt dona carnis habitualia, alia personaliter communicata. 4. Status exinanitionis non est opponendus statui exaltationis & vice versa. 5. Actus naturalis non tollit personalem, nec hic illum, 6. Non omnia quæ de nudâ creaturâ scriptura dicit, Christi deificata Carni applicanda sunt.

Ex quibus non saltem nostra intelligitur sententia, sed etiam perspicitur ex quibus fundamentis refutanda adversariorum argumenta, Finimus autem hic, & exhibito nostro Messia Jesu Christo vero Deo, vero homini, gratias agimus maximas, quod ex consilio ac virtute S. S. Trinitatis carnem nostram in unitate personæ sibi copulare voluerit, & propter nostram salutem homo fieri, quod carnis nostræ infirmitates sibi appropriare, eidemq; suam majestatem communicare non dedignatus fuerit, ut Deus & homo in una persona mortem destrueret, diabolum vinceret, & aeternam vitam nobis acquireret. Hunc gloriosum, omnipotentem, omniscientem & omnipresentem Dominum adoramus, det spiritum veritatis omnibus, corrigat mentem errantium, comprimat violentiam in nos sevientium, ex plenitudine scientiæ ejus, nos accipiamus veram scientiam, ex plenitudine potentiæ dominetur in medio inimicorum nostrorum. suâ omnipresentiâ nobis adsit gratiosè in hac, gloriosè in altera vita; ut ipsi canamus cum sanctis; Benedictio & honor & gloria & potestas sit agno sedenti in throno in secula seculorum,
Amen.

F I N I S

05 A 2207

ULB Halle 3
003 782 514



1007







T. O. M. A.
 ACADEMIA THEOLOGICA
 De
 PERSONA
 CHRISTI,
 Quam
 Academia VVittebergenſi
 PRÆSIDE
 Reverendo, Clarifſimo & Excellentifſimo
 D. RÖBERO, SS. Th.
 Col. celeberrimo, Paſtori & Super-
 Electorali Generali vigilantifſimo, Synedrii
 re gravifſimo, Facultatis Theol. Decano
 Dn. Præceptore, Fautore & Pro-
 ſuo ſingulariter obſervan-
 do & colendo.
 Publicè proponit
 NES Fürſen Hamburg.
 in Auditorio majori
 14. Aprilis horis à 7. matutinis.

WITTEBERGÆ,
 AMBROSII ROTHII, Acad. Typogr.
 ANNO MDCXXXI.